5. 5. 326

Digitized by Google

5.5.326

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

31

De

Vita, Obitu, Scriptisque

VIRI

SUMME REVERENDI, MAGNIFICI

ATQUE EXCELLENTISSIMI

DN. THOMÆ ITTIGII,

SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL. CELEBERRIMI, FACULTAT. THEOLOGICÆ ET CONSISTORII REGIO-ELECTORALIS AC DUCALIS ASSESSORIS GRAVISSIMI, REVERENDISS. CAPIT. MISENENSIS CANONICI, PASTORIS AD D. NICOLAI ET DIOECESEOS LIPSIENSIS SUPERINTENDENTIS VENERABILIS, THEOLOGI DE PATRIA ET UNIVERSA CHRISTI ECCLESIA IMMORTALITER MERITI,

Epiſtolica Diſſertatio

AD

SUMMUM VIRUM

DN. JOANNEM FECHTIUM,

SS. THEOL. DOCT. PROF. PUBL. PRIM. UNDIQUAQUE CELEBRATISSIMUM, SERENISS. DUCIS MEKLENB REGNANTIS CONSILIARIUM SACRI CONSISTORII, DISTRICTUS ROSTOCH. SUPERINTENDENTEM, ET FACULTATIS THEOL. SENIOREM MERITISSIMUM, THEOLOGORUM HAC ÆTATE FACILE PRINCIPEM,

SCRIPTA

a

M. JOHANNE FRIDERICO KERNIO,

SCHLEUSINGA-FRANCO.

LIPSIÆ,

Apud JOANNEM FRIDERICUM BRAUNIUM,

1710.

Digitized by Google

Digitized by Google

V I R
Summe Reverende, Magnifice & Excellentiſſime,
Domine, Patrone atque Pater
cum obſervantia æternum Venerande.

ANnus nunc agitur quartus, ex quo TIBI, VIR SVMME, placuit, non ſolum me idoneum reddere ad res TVAS hic peragendas, ſed etiam crebris ac humaniſſimis TVIS literis me ornare, & impenſe amare. Ego etiam officia mea qualiacunque in mittendis libellis recentioribus, prout per negotia & curas meas ſatis frequentes potui, paratiſſimo animo obſervanter exhibui, varia ſimul nova, plerumque quidem triſtia, perſcripſi. Verum hac vice, non ſine exquiſitiſſimi doloris ſenſu, triſtiſſimus ſcribo. Horreo, ex-

Digitized by Google

ſtupeſco referens τὸν πάνυ ITTIGIVM Tuum Tibi per me ultimum ſalve ac vale dicere: ITTIGIVM ſacra ſua officia pro Eccleſiæ noſtræ ſalute amplius non obire: ITTIGIVM, Theologorum noſtræ ætatis aquilam, die Lunæ poſt Dominicam a pia antiquitate Judica dictam, nobiliſſimam animam Deo reddidiſſe hora circa ſextam veſpertina. Veſperaſcit pene in Eccleſia noſtra orthodoxa, ſi conſidero Carpzovii, Schraderi, Seligmanni, Neumanni & Ittigii, vah quantorum Theologorum nomina! brevi a ſe invicem obitum. Veſperaſcit pene dicam, quod quaſi innuit ὁ Μακαρίτης noſter, quando ultimum plane laborem eccleſiaſticum peragens, Textum & cantiones ad diem pœnitentialem, ſubſequenti die XI. Aprilis devote celebrandum, propria manu ante octiduum illud præſcribebat, & pio hymno claudebat: Ach bleib bey uns/ HErr JEſu Chriſt/ weil es nun Abend worden iſt/ ꝛc. Ex hoc enim tempore calamum non amplius attigit. O tempus illud miſerum atque acerbum nobis! O magnum & intolerabilem dolorem! Lugent literæ & virtutes omnes: ingemiſcit Eccleſia & Euſebie.

Quid dicam? Horreo, exſtupeſco iterum referens, quod juſtum dolorem noſtrum dolor ingens & novus ſecutus ſit. Vulnus enim Eccleſiæ & Academiæ noſtræ acerbiſſime inflictum ac tam grave mox recrudeſcebat inopinata morte B. Fratris ejus Dn. D. *Godofredi Nicolai Ittigii*, JCti Conſummat. Codicis Prof. Publici, Facultatis Juridicæ Aſſeſſoris, Collegii Min. Princip. Collegiati, Canonici Martisburgenſis & Academiæ Lipſienſis Decemviri longe meritiſſimi; Viri, ſi unquam dicere fas eſt, boni, juſti & cordati, qui totam vitam ſuam optime geſtam vere delineavit ſymbolo hoc ſuo: *Recte faciendo neminem timeas*. Hic pius JCtus, Theologi pii hæres ab inteſtato unicus, ampliſſimo funere efferri Fratrem ſuum Thomam die XV. Aprilis curabat, & Moſis inſtar ex mandato Domini Aaronem fratrem veſtibus ſuis quaſi exuebat.(*a*) Cum vero conſtitutionem corporis infirmam ipſe circumgerebat, &

(a) Num. XX, 26.

Digitized by Google

&hactenus cum Thoma conjunctiſſimo Fratre moriebatur, en! vehemens apoplexiæ inſultus vix vigeſimo a B. Fratris obitu die, qui non ſine bono omine erat Dominica Quaſimodogeniti, peractis ſacris matutinis, eum conſumſit, ſtatimque & hunc Chriſtus ad conjunctionem cum Fratre in conſpectu Dei perpetuo beatam traxit. Adeo Fratres David & Jonathan, Fratres germani vere germani, qui & germanas Sorores in matrimonio habuerunt, nec poſt fata ſeparari poterant; ſed palatia pacis ſimul adeuntes hæreditate æterna, ſpretis caducis, fruuntur. Etenim

Hujus & illius pietas fert præmia vitæ,
Grande laboris onus concomitatur honos.

Si mihi liceret, cum uno ex Senioribus illis Apocalypticis quærere: *Hi veſtiti ſtolis albis, quinam ſunt, & unde venerunt?* Divinum certe oraculum reſponderet mihi: ITTIGII *hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, qui lavarunt ſtolas ſuas, easq; ſanguine Agni dealbarunt.* (*b*) Apud mortales autem Nomen horum ITTIGIORUM laudesque etiam poſt fata manebunt, quamdiu Lipſia & bonæ literæ vigebunt.

Meum adeo non eſt, beatiſſimorum horum Fratrum dignas laudes enarrare; de quorum vitis meritisque in Eccleſiam & Rempublicam Literariam Viri doctiſſimi elaboratius dicturi ſunt. Et licet ſatius mihi inprimis eſſet, de ſummo Viro D. THOMA ITTIGIO ſilere, quam paucula ſcribere, tamen tyronum inſtar apud pictores prima ſaltem rudimenta, & lineas quasdam tenui hac epiſtola ducam, ad pulchram abſolutamque faciem, vel vitam ITTIGII, ab Artifice impoſterum depingendam. Videlicet pro tenuitate mea pauca tantum notabiliora & ſingularia in TVI, VIR SUMME REVERENDE, notitiam ex mandato, meam Tibi obſervantiam demiſſe teſtaturus, perſcribam de ratione vitæ, obitus, Scriptorumque Theologi incomparabilis, Amici Tui omnium deſideratiſſimi, ob fidem pietatemque erga Patronum

(*b*) Apoc. VII, 13. 14.

quem Parentis loco obſervavi & majori reverentia. Incitavit me porro ad qualiacunque hæc exaranda gravisſimum Apoſtoli Pauli præceptum: *Memores eſtote Doctorum veſtrorum, qui vobis ſermonem Dei locuti ſunt, quorum contemplantes converſationis exitum, fidem imitamini:* (c) Nec non Siracidis: *laudemus Viros præclaros, & frequenter Majorum laudes cantemus.* (d) Quotidie enim homines in terra naſcuntur, non quotidie Theologi, hac potius tempeſtate ſæpius abortum natura parit: Quotidie homines moriuntur, non quotidie moriuntur tanti Doctores Theologi.

Doctor igitur noſter THOMAS ITTIGIUS Anno recuperatæ ſalutis MDCXLIII. die 31. Octobris, quo Megalander Lutherus A. MDXVII. felix Reformationis initium fecit, & theſes ſuas theologicas adverſus Tezelium valvis Templi ad arcem Wittebergæ affixit, quove die feſtum Reformationis in Eccleſiis Saxonicis quotannis celebrari ſolet, in ſolatium Eccleſiæ Lutheranæ natus eſt; non ſine fauſto omine pugnaturum illum fore, pro vera, & per Lutherum purgata, doctrina noſtra unice ſalutari. Lipſia tot excellentisſimorum ingeniorum mater natale ſolum fuit: *Patre* genitus Dn. Johanne Ittigio (ſive ut in prioribus ſuis diſputationibus ſcribere eidem placuit Ittich) Philoſ. & Medicinæ Doctore, Phyſices Prof. Publico, Facultatis Philoſ. & Minor. Princip. Collegii Seniore, Academiæque Decemviro meritisſimo, qui natione Schleuſinga-Francus ſepties ſceptra Academiæ Lipſienſis cum laude tenuit, & A. 1676. d. 21. Julii, anno ætatis ſuæ 69. nondum expleto, apoplexia perculſus obiit: *Avo* Johanne Ittigio, Senatore & Commendaturæ Teutonicæ Schleuſingenſis Adminiſtratore, (qui mihi hæc ſcribenti Proavus lineæ maternæ fuit); Et avia Margaretha, Johannis imHoff Senatoris Schleuſingenſis filia: *Proavo* Eberhardo Ittich, Commendaturæ modo dictæ una cum Weiſenſeenſi Adminiſtratore: *Abavo* M. Franciſco Ittigio, a Reformatione

(c) Ebr. XIII, 7.
(d) Sir. XLIV, 1. ſq.

Digitized by Google

tione Lutheri primo Rectore Schleuſingenſi, (e) quem non modo D. Ortolph. Maroldus, M. Seb. Glaſerus, cum aliis eruditis eximie laudarunt, (f) ſed etiam communis Germaniæ Præceptor Philippus Melanchthon ob eruditionem ſuam haud vulgarem percharum habuiſſe dicitur. (g)

Matre genitus eſt Noſter Sabina Eliſabetha, Dn. Thomæ Weinrichii S. Theol. Doctoris & Prof. Publ. in Academia hac Lipſienſi, nec non Archidiaconi ad D. Nicolai filia, & Eliæ Rehefeldii,

(e) vid. Celeber. Dn. M. Godofr. Ludovici, Præceptoris mei ætatem colendi, hiſtoria Rectorum Gymnaſiorum Scholarumque celeb. part. I. p. 141.

(f) Cujus rei teſtimonium ſunt: *Epitaphia pietate, eruditione & prudentia Clariſſimi Viri ac venerandi Senis M. Franciſci Ithigii, Moſellani, Scholæ Schleuſingenſis inſtauratoris, & per multos annos Rectoris fideliſſimi, qui in vera invocatione Filii DEI placida morte obiit quinto die Martii A MDLXVIII. conſcripta ab Amicis. Smalckaldiæ excuſa. in 8.*

(g) Non dubito de amicitia Phil. Melanchthonis cum Franciſco Ittigio, quod ex epiſtolis illius legendum eſſe monet curriculum vitæ ac programma Ittigii noſtri æque ac Parentis ſui. Sed, ut verum fatear, perluſtravi his diebus Phil. Melanchthonis Libros 3. epiſtolarum per Peucerum A. 1570. editos in 8. Librum epiſtolarum ad Joach. Camerarium Lipſ. 1569. in 8. editarum, & Librum epiſtolarum nunquam antea editarum Lugd. Bat. 1647. 8. neque tamen expreſſis verbis Franciſci Ittigii, Moſellani, nomen reperire potui. Occurrunt quidem in illis epiſtolis varii Franciſci, nimirum Franciſcus quidam ex carcere liberatus, Hiſpanus, Profeſſor Gr. Ling. & D. Franciſcus Cancellarius; claram autem mentionem hujus Moſellani, ut allegare poſſim, nondum reperi, niſi ex literis adhuc extantibus ineditis deſumta ſit. Aliqua nihilominus veſtigia hujus amicitiæ apparent, dum Melanchthon libr. 2. epiſtol. per Peucerum edit. p. 276. ad Andream Junium ſcribit: *Si voles Schleuſingen proficiſci, non deerit tibi meum officium*; & iterum: *Principes Hennebergici ſcripſerunt* (forte per Ittigium) *& petierunt Paſtorem*, &c.

Digitized by Google

Bibliopolæ Lipſienſis Primarii vidua, Matrona omni veræ pietatis caſtique pudoris virtute præſtantisſima, cui Eunicæ ſuæ dilectisſimus filiorum Thomas noſter, exemplo Timothei ab ineunte ætate S. Scripturam ex ea diſcens, multum debere ſemper profeſſus eſt: *Avia* Emerentia, Dn. Johannis Græſelii Glorioſisſimæ memoriæ AVGVSTO Electori Saxoniæ a re monetali filia, & Thomæ Weinrichii Paſtoris Hirſchbergenſis, qui germanus D. Georgii Weinrichii Superintendentis Lipſienſis frater fuit, uxore: *Proavia* Anna, D. Abrahami Suarini, Ducatus Altenburgici Superintendentis Generalis filia.

Conſtat ex his, ITTIGIVM noſtrum iis Parentibus, iisque Majoribus eſſe prognatum, ut, ſi nullam ipſe adeptus eſſet laudem virtutis propriam, a Majoribus plurimum ſplendoris acceperit. Sed quid opus eſt aliena laude, cum multi generoſo ſanguine hodienum familias ſuas deforment magis, quam ornent, propria potius gloria abundat noſter Theologus, qui ex ſtirpe ut plurimum Theologica ortum habens, Majores omnes facile ſuperavit. Puer enim bo[illegible] indolem cum Salomone Rege ſortitus, (*b*) dexterrimo ingenio præditus fuit, & cum virtutibus Paternis atque Maternis conjunxit virtutes Magni Theologi Dn. D. Joh. Benedicti Carpzovii Senioris, qui *ἀναγεννήσεως* ſuæ ſigillum Parentis loco, ſacro ritu curavit. Baptiſmum autem adminiſtravit B. Dn. D. Müllerus die in faſtis Omnium Sanctorum dicto, quo ſine dubio omnes Angeli & ſancti Cœlites valde gaviſi ſunt de THOMÆ noſtri, tanti Theologi futuri, nuncque in ſocietate eorum certiſſime jubilantis, regeneratione. A teneris ſtatim unguiculis Parentes honoratisſimi perſpicere potuerunt virtutes Theologo olim dignas & quaſi hæreditarias, ideoque curà illorum vera Religio pietasque cum literis humanioribus aucta fuit in ſchola publica Nicolaitana, ope Præceptorum fidelisſimorum M. Eliæ Nathuſii, M. Tilemanni Backhuſii, M. Sigismundi Schwenckii, poſtea SS. Theol. Licent. P.P. &

(*b*) Sap. VIII, 19.

& demum Paſtoris Luneburgenſis, M. Jacobi Thomaſii, & M. Joh. Hornſchuchii Græc. Ling. Prof. Publ. dignisſimi: in ſchola cumprimis privata ope M. Valentini Alberti, Theologi poſthac apud Lipſienſes celeberrimi. Egregium itaque talentum a Deo acceptum noluit ignaviæ ærugine contaminare, neque tineis pravarum ſocietatum corrumpere, ſive luxuria ſubruere, ſed indefeſſo ſtudio in Philoſophicis diſciplinis tantos demonſtravit profectus, ut A. MDCLX. adoleſcens optimus primum gradum in Philoſophia impetraret, & de miraculoſa Spiritus S. effuſione orationem carminice diceret. Sunt ἀφιλόκαλοι, qui eruditionem, ne quid intactum maneat, hodie culpant & convitiis proſcindunt, non perpendentes Moſen Prophetam, Doctorem & Legislatorem accurate ſtudiis invigilaſſe, teſtante id, ex Spiritus S. inſpiratione, Stephano Protomartyre: (*i*) ἐπαιδεύθη Μωσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων· ἦν δὲ δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις. Et quanquam Chriſtus ob Sapientiæ ſuæ divinæ profunditatem ac miracula edenda, rudes Viros ad Apoſtolatum vocaverit, diſtinguendum tamen eſt inter tempora, & laude ſua non caret excellens Pauli eruditio, ut alias rationes taceam. ITTIGIVS vero noſter veram & ſolidam ſapientiam ab adoleſcentia acriter didicit exemplo Salomonis, Prophetarum, Siracidis, & ſummorum hodienum Virorum. In addiſcenda Lingua Latina, Græca, Hebræa cum aliis Orientalibus, Gallica, Italica, & ex parte demum Anglicana, dum, ad intelligendum Quiccii Synodicon, occupatus erat circa ſcriptionem Hiſtoriæ ſynodorum nationalium in Gallia habitarum, non mediocriter operam ſuam locavit: Sane nunquam minus otioſus fuit, quam dum in Muſarum otio fuit.

Igitur ad continuanda bene cœpta ſtudia eodem anno MDCLX. dulcisſimum Roſetum Veſtrum Varniacum, hodienum optimum illud γνησίως Lutheranæ Religionis domicilium, quod Tua præſentia, VENERABILIS SENEX, egregie ornas, profectus

(*i*) Act. VII, 22.

fectus ibique Præceptoribus uſus eſt, Philoſophis pariter ac Theologis meritisſimis, Dn. Chriſtiano Kortholto, Celeberrimo poſtea apud Kilonienſes SS. Theol. Doctore & Profeſſore, D. Auguſto Varenio, D. Schuckmanno, Mauritio, Ottone, Cobabo aliisque Viris excellentisſimis, quorum ex ore ſcientias ac doctrinas melle & ſeſamo dulciores avide imbibit. Occaſione laudati modo loci inquirere in aliquid licebit: Ex ore B. D. Joh. Chriſtophori Wagenſeilii, Polyhiſtoris Celeberrimi, Mæcenatis mei, qui A. 1645. Roſtochium quoque inviſit, audivi, & ex Pera ejus juvenili (*i*) legi, Hugonem Grotium, Virum illum ſtupendæ eruditionis, & vere ἐξοχώτατον, in Academia Roſtochienſi Veſtra obiiſſe, & moriturum D. Joh. Quiſtorpio dixiſſe: *in ſolo Chriſto omnis ſpes mea repoſita eſt;* quod quidem acciderit A. 1645. ex communi ſententia. Deficiente apud Wagenſeilium, ut ſæpius fit, (aliter ſane quam apud ITTIGIVM noſtrum in ſcriptis ejus deprehendimus) allegatione, ubi D. Quiſtorpius id teſtatus fuerit, reperi Epiſtolam id confirmantem die 18. Octob. 1645. ad B. Calovium exaratam, (*k*) & aliam adhuc Quiſtorpii epiſtolam longiorem de Grotii naufragio ex itinere Suecico infelici, & vitæ in puncto duodecimæ nocturnæ exitu, ſcriptam Roſtochii propridie Michaelis A. 1645. apud D. Johan. Adamum Oſiandrum in obſervat. ad libros 3. H. Grotii de jure belli & pacis, prolegom. p. 28. ſeqq. Dum vero D. Oſiander expresſis verbis de Grotio ſcribit: *Vitam finiit Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimo quarto, decimo octavo Auguſti* ſtil. veteris: Vellem obiter ex Te, VIR ERVDITISSIME, ſcire, num utraque epiſtola B. Quiſtorpii ſit? ac certitudinem anni, quo Grotius ſit mortuus? Corrigendus tamen erit error typographicus in Celeberrimi D. Buddei Lexico German. Univerſali part. 2. f. 307. ubi A. 1545. Grotius mortuus eſſe legitur, pariter ac in Clarmundi vitis.

(*i*) Loculam. III. hiſtor. univerſ. part. 2. p. 777.
(*k*) Apud Calovium in Bibl. illuſtr. Tomo I. obſervatt. ad præfat. Grotianam p. 195.

Digitized by Google

vitis Clariſſ. Virorum Part. III. p. 113. perperam annus 1545. dicitur. Superato ibidem in littore maris Baltici forte periculo, licet non tam gravi, quam quod Grotio contigit, cum ITTIGIVS, circa adventum Militis Suecici ad Warnemündenſem tunc temporis occupationem, vix e manibus navigantium Suecorum evaſerit, atque exacto feliciter itinere iſto Academico, in Lilietum noſtrum Academicum A. MDCLXII. reverſus eſt.

Hic Collegia tam publica quam domeſtica Virorum eruditiſſimorum Slüteri, Rappolti, Franckenſteinii & Thomaſii frequentavit; Feſto Pentecoſtali hujus anni de donis Chriſti triumphantis publice in Templo Academico peroravit, inque aliis exercitiis Baccalaurealibus, diſputatoriis, & Alumnorum Electoralium oratoriis maſcule ſe exercuit. Anno ſubſequenti MDCLXIII. Magiſter optimarum artium & Philoſophiæ Lipſienſis publice renunciatus, ſcholas Ipſe Studioſis aperuit, & ſpecimina eruditionis edidit. Namque non modo diſputationem philoſophicam *primam de montium incendiis* d. 24. Martii, ſed etiam *ſecundam de montium incendiis*, ſive primam pro Loco in Facultate Philoſophica obtinendo d. 29. Auguſti hic Lipſiæ cum laude habuit.

A. MDCLXIV. petiit Argentinam, Mercaturam quaſi doctrinæ tunc temporis in tota Europa præ cæteris florentiſſimam, in qua etiam TVA MAGNIFICENTIA eodem temporis tractu fragrantiſſimum optimæ laudis, eruditionis, & pietatis odorem apud omnes reliquerat. Per biennium ferme ibi ad pedes Polyhiſtoris Excellentiſſimi Dn. Joh. Heinrici Bœcleri de rebus Turcicis tunc legentis, nec non Theologorum magnorum Joh. Conradi Dannhaueri, Sebaſtiani Schmidii, utriusque Fauſti, & Balthaſaris Bebelii ſedit. Sub hujus Bebelii Hoſpitis ſui præſidio diſputationem Theologicam *de forma Eccleſiæ externa* defendit, & fundamenta hiſtoriæ eccleſiaſticæ, quam excellenter poſtmodum excoluit, poſuit; utque paucis multa comprehendam: Argentorati plus olei, inſtar Demoſthenis, quam vini abſumſit.

Singulari Dei benignitate Lipſiam ſuam iterum ex voto Parentum repetens, in ſtudiorum ſuorum ſtadio, bonarumque artium curſu, felicius progrediendo ITTIGIVS noſter *tertiam de montium incendiis diſputationem*, ſive alteram pro Loco A. MDCLXVI. die 6. Junii edidit ac defendit. Qui ſimul omnibus nervis ad palmæ decus adſpirabat, non ſolum Dn. D. Joh. Adami Scherzeri, Dn. D. Friderici Rappolti, aliorumque Theologorum Celeberrimorum Collegiis ſedulo adfuit, ſed etiam *theſes Theologicas de tractu hominum ad Chriſtum exaltatum ex Joh. XII, 32.* a ſe conſcriptas, ſub præſidio Summe Reverendi Dn. D. Hieronymi Kromayeri A. MDCLXVII. eruditorum examini ſubjecit. Quibus quidem temporibus M. ITTIGIVS a B. D. Rappolto Dresdenſibus quibusdam Primoribus commendatus, ſedem Electoralem Saxonicam adiit, illorum filios per duos annos informavit, & ad ſtudia Academica incipienda idoneos reddidit. Imo Ipſe dulces ante omnia Muſas Philyreas ſuas iterata vice quæſivit, amavit, & ornavit.

Jam A. MDCLXX. Collegio Philoſophico Lipſienſi adſcriptus fuit ITTIGIVS, & ſtudii Paterni porro hæres tam notitiæ Phyſicæ, Theologo olim utiliſſimæ, (quod inter alias diſputationes phyſicas ſupra dictas & illa *de Lacrymis diſſertatio* teſtatur) quam rei Poëticæ laudabilem operam impendit. Profecto faventiſſima Minerva in Poëſi ferebatur, ut non tam gregalis, ſed potius artifex Poëta ſalutandus ſit, quod videre licet ex Panegyricis in IV. ſolennibus Magiſtrorum promotionibus An. 1666. 1667. 1670. & 1671. ſcriptis, aliisque multis poëmatibus argutiſſimis pariter ac perſpicuis. Ideo ſuo ex merito Poëſeos Profeſſionis, & in Academia Lipſienſi una cum Joach. Fellero, & in Academia Wittebergenſi una cum amico deſideratiſſimo ſuo Dn. Samuele Benedicto Carpzovio, poſt Archi-Theologo Saxoniæ immortaliter merito, competitor fuit. Eodem hoc anno LXX. die XXXI. Octobris feſto nimirum Reformationis Lutheri in Templo Pauli-

no

no ex juſſu Celeberrimi Dn. D. Scherzeri orationem publicam iterum laudatiſſime habuit; Et anno ad finem vergente diſputationes 3. de montium incendiis antea publice habitas, peculiari tractatu doctiſſimo, ſub titulo *Lucubrationum Academicarum de montium incendiis* edidit, quod patet ex ſubſcriptione Dedicationis ad Electorem Saxoniæ *JOHANNEM GEORGIUM II.* Glorioſiſſ. memoriæ, quamvis ex Bibliopolarum conſuetò more, in titulo annus 1671. legatur.

Ex propria quidem voluntate ITTIGIUS primo intuitu non appetebat munus eccleſiaſticum, libentius Academicæ functioni operam ſuam collocaturus: Ex imperſcrutabili tamen Dei Trinunius voluntate, & Parentum impulſu, aliter accidit, atque onus hoc graviſſimum, & vel angelicis humeris tremendum, feliciter in ſe ſuſcepit A. MDCLXXI. Notandum h. l. eſt, ITTIGIUM noſtrum non A. 1670. uti quidam ſcribunt, miniſterium ſacrum incepiſſe, ſed A. 1671. feſto Purificationis Mariæ, Deo ſuo primitias ſacri miniſterii obtuliſſe, & Paſtoris officium in Templo S. Johannis ſuburbano aggreſſum fuiſſe; etſi ſub finem Anni 1670. die 30. Decembris a Magnifico Senatu Lipſienſi vocationem acceperit. Nam in ſpeciminibus Academicis 1670. editis ſolum Facultatis Philoſophicæ Collega nominatur; & ſubſequenti anno 1671. in ſolenni Panegyrico Magiſteriali die 26. Januarii ſcripto, ſe vocat Xenodochii Johannei Paſtorem recens deſignatum; mihi etiam ante hos duos annos coram dixit, hunc ultimum Panegyricum Magiſterialem a ſe elaboratum fuiſſe, pro cujus honorario veſtem ſacerdotalem primam ſibi ſtatim paraverit. Cogita ſodes, *O Pater Venerande*, ITTIGIUM non per ſaltum, ſed per gradus ad ſumma nitentem, & ab infimo fere Miniſterii Eccleſiaſtici, quod Lipſiæ floret, loco ad primum, boni militis inſtar, aſcendentem. Ab hoc enim officio ſacro DEUS O. M. per Inclytum Reipubl. Lipſienſis Senatum, vocavit pium noſtrum ITTIGIUM A. MDCLXXIV. poſt obitum B. L. Thomæ Stegeri, Concionato-

rem Ædis Thomanæ intra Vrbem meridianum: Anno ſequenti LXXV. pie mortuo Dn. L. Löflero, Concionatorem ejusdem Ædis pomeridianum: A. LXXXV. d. 30. Januarii iterum per aſcenſionem Diaconum in Templo S. Nicolai: A. LXXXVI. Archidiaconum hujus Templi: & demum A. M DC IC. Paſtorem Nicolaitanum ac Superintendentem. Quod graviſſimum Præſulis Lipſienſis munus poſt obitum Venerab. Dn. D. Georgii Lehmanni, & Dn. D. Joh. Bened. Carpzovii Duumvirorum celebratisſimorum, qui proh dolor! ſe invicem mox ad æternitatem ſequebantur, ipſi nec quærenti, nec volenti per Dei gratiam injunctum fuit. Habita nimirum Dresdæ concione in dictum 2. Timoth. I, 13. cum annexo in conſeſſu Reverendisſimi Proto-Synedrii colloquio, ibi Clementisſime confirmatus in officio, & feliciter auſpicatus fuit Dominica VI. poſt feſtum Trinitatis, introducente illum, poſthac d. 22. Novemb. ſolenni ritu, Archi-Theologo Saxoniæ νῦν ἐν ἁγίοις, Samuele Benedicto Carpzovio. Inſuper à Potentisſimo & Sereniſſ. REGE Aſſeſſor Conſiſtorii Electoralis ac Ducalis Saxonici, quod Lipſiæ floret, vocatus eſt, & ſpartam hanc læto ſemper animo ſimul adminiſtravit.

Sequi adeo gloria, non appeti debet. Et quam diu cunctabundus ad ultro oblatum Superattendentis officium erat ITTIGIUS? Honor tamen Epiſcopalis hunc quaſi fugientem mirum in modum ſequebatur. *Triuno Illuminante*, quo pio ἀκρολόγῳ omnes conciones manu ſua exaratas in frontiſpicio conſignavit, cuncta incepit fecitque, quo ſic vas eſſet Divinæ miſericordiæ, templum Sanctisſimi Dei, organum electum, per quod Spiritus S. viam veritatis & ſalutis ex ſolis ſacris literis pure ac ſincere Auditoribus monſtraret; Domus, in qua virtutes theologicæ congregatæ habitarent. In legitima ſua vocatione ITTIGIUS usque ad finem vitæ Patriæ optimæ prodeſſe voluit & permanſit. Quo autem non venit ejus pes, eo venit ejus res, ſcripta nempe cedro digniſ-

digniſſima. Obſequioſe cum Jeremia (*l*) ivit, ad quæ Deus eum miſit, & univerſa, quæcunque mandavit Dominus in verbo ſuo, locutus eſt absque προσωποληψία. Imo cum Jeremia, quem Prophetam Dei enixe dilexit, excoluit, & in officio Archidiaconatus ſui pro ſuggeſtu dexterrime explicavit, quemve laborem poſthumum eruditi avide cupiunt; cum Jeremia, inquam, multas calamitates populi ſui perpeſſus eſt. Quoniam vero fortiter ſtetit coram Domino, & pretioſum a vili ſeparavit, dixit ei Dominus ſicut Jeremiæ: (*m*) *Dabo te populo huic æneum murum & munitum, pugnabunt contra te, at nihil poterunt contra te:* καὶ πᾶσαν χαρὰν ἡγήμενος, ὅταν πειρασμοῖς περιπέσῃ ποικίλοις, (*n*) vel in maximis adverſitatibus firmus, in acutiſſimis ſuis calculi doloribus mitis extitit. Cum peſtis A. MDCLXXX. in territorio Lipſienſi graſſaretur, ITTIGIUS tanquam alter Aaron inter vivos & mortuos ſtetit, (*o*) & ſeriis precibus pœnas a Deo immiſſas amovit. Neque tunc mortuæ Matri ſuæ dilectiſſimæ juſta ſolvere poterat aliter, quam ſcripto germanico infra dicendo. Quot quæſo calamitates? quot pericula? quot curæ, intra 40. ferme officii eccleſiaſtici annos, obvenire ſolent? Salus enim eccleſiæ noſtræ noctes atque dies ITTIGII prima & maxima cura fuit, hinc JEſum Chriſtum pure docuit corde, voce, ſtylo. Miniſteriales illas 8. Regulas Lyſero-Geierianas tempore Miniſterii ſui eccleſiaſtici, licet non Aulici, accurate ſemper tenuit & obſervavit. (*p*) φιλόπονον καὶ φιλομαθῆν fuiſſe ITTIGIUM Auditoribus Tuis, VIR MAGNIFICE, dudum in Collegio Hiſtoriæ eccleſiaſticæ dixiſti, egoque Altdorfi Noricorum ſtudiorum gratia adhuc degens didici; Lipſiæ autem nunc vidi oculis meis, quantæ induſtriæ, la-

 boris

(*l*) Jer. I, 7.
(*m*) Jerem. XV, 20.
(*n*) Jac. I, 2.
(*o*) Num. XV, 48.
(*p*) vid. Geieri Præfat. zur Allgegenwart GOttes.

boris, ac curæ Vir fuerit. Merito ſuſpiciebant mecum omnes ſeriam in illo & ſedulam docendi perſpicuitatem, eruditam ſublimitatem & copiam, dulces quosdam aculeos, gravitatem, & præprimis Sacræ Scripturæ divitias. Quantum meditando, ſcribendo & concionando valuerit, omnibus conſtat, qui eum norunt, ita ut vel ipſorum Adverſariorum teſtimonio, ſtupendæ lectionis & acerrimi judicii Vir audiat. Sacerdotium Lipſienſe etiam non eſſe otium, ſed negotiorum negotium exemplo ſuo per tot annos ſedulo, & maximo cum Auditorum ſuorum gaudio ac uſu comprobavit.

Nec vero ſolum in cathedra eccleſiaſtica vocem ſuam ITTIGIVS inſtar tubæ exaltavit, & annunciavit populo prævaricationes ſuas; ſed etiam in cathedra Academica privata pariter ac publica eruditionem ſummam Studioſæ juventuti communicavit. A. C. MDCLXXIX. ſerio petentibus quibusdam Studioſis, collegium in hiſtoriam eccleſiaſticam intra privatos parietes incepit, & poſtea alio ſubinde modo ſummo cum applauſu continuavit. Quibus de rebus poſt impetratum d. 18. Junii Baccalaureatum, & altera vice d. 3. Julii examine prius habito, Summe Reverenda Facultas Theologica Lipſienſis doctiſſimo noſtro ITTIGIO A. MDCLXXXV. d. 13. Auguſti Licentiam ſupremos in Theologia honores, & inſignia Doctoralia conſequendi conceſſit; poſtquam d. 12. & 13. Auguſti maſcule defenderat diſputationem pro Licentia, cujus titulus eſt: *Animadverſiones ad cenſuram Facultatis Theolog. Pariſienſis latam in Sorbona d. 18. Martii 1683. de propoſitione: ad ſolam ſedem Apoſtolicam divino immutabili privilegio ſpectat de controverſiis fidei judicare.* A. C. MDCXCVII poſt mortem Magnifici Dn. D. Valentini Alberti, Theologi apud Lipſienſes meritiſſimi, & noſtri ITTIGII Præceptoris olim optimi, a Potentiſſimo Pol. Rege & Electore Saxoniæ FRIDERICO AUGUSTO clementiſſime vocatus fuit ad Profeſſionem Theologiæ extraordinariam, idque præter ſpem ſuam & opinionem, quod ego

inter

inter alia didici ex literis Nathanis Saxonici B. Dn. D. Samuelis Benedicti Carpzovii, primum ad ITTIGIUM exaratis, quippe quibus nomine Proto-Synedrii Clementiæ Regiæ eum certiorem fecit. Hanc Profesſionem Extraordinariam d. 27. Octobris dicti anni, habita oratione pro Joh. Dallæi tractatu de uſu Patrum adverſus Matth. Scriveneri apologiam pro ſanctis eccleſiæ Patribus, cum laude aggreſſus eſt, & ita ornavit, ut anno ſtatim ſequenti MDCXCVIII. d. 3. Martii ab Extraordinaria Profesſione ad Ordinariam Theologiæ tranſiret. Et io! nunc accidit, quod Parentes beatisſimi ITTIGII innuerunt, dum in baptiſmo Thomæ nomen ipſi imponi voluerint, optantes & ſperantes, THOMAM hunc aliquando avi ſui materni, Thomæ Weinrichii Archidiaconi ad D. Nicolai, primum Extraordinarii poſtea Ordinarii Theologiæ Profeſſoris veſtigia feliciter preſſurum eſſe. (*q*) Fuit certe Noſter *THOMAS* i. e. abyſſus eruditionis: Fuit fidelis *THOMAS*, geminum officium ſacrum, eccleſiaſticum & Academicum, ſancte & egregie cuſtodiens: Fuit in hoc *THOMA* noſtro Apoſtoli Thomæ zelus & amor erga Chriſtum ſuum ſingularis, diſcendi quoque ardor & ſtudium vehemens, quæ ſunt virtutes Diſcipulo Chriſti dignæ. (*r*) Dolendum modo, quod quaſi innuit in oratione inaugurali altera hic THOMAS noſter, in Dei manibus poſitum fore, ut & avo ſuo ſimilis evadat circa tempus Profesſionis ordinariæ. Paucis enim poſt collatum ordinariæ Profesſionis officium menſibus in cœleſtem Academiam, anno ætatis 41 D. Thomas Weinrichius emigravit. Et D. Thomas Ittigius longiori etiam vita dignus, poſt XII. annos ab accepta Profesſione Theologiæ Ordinaria, in cœleſtem Academiam emigra-

(*q*) vid. ITTIGII noſtri oratio inaugural. altera lit. C. 3.

(*r*) vid Joh XI, 16. XIV, 5. 6. & conf. Thomæ Stapletoni, Angli, *Tres Thomæ, ſ. res geſtæ S. Thomæ Apoſtoli, S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis & Martyris, Thomæ Mori Angliæ quondam Cancellarii. Colon. Agrippinæ 1612. 8.* p. 3. ſq.

gravit, quam tamen egregie ornavit. Diſputationes Theologicas hinc inde habitas infra adducam, huc ſaltem pertinent Honores in Theologia ſummi, quos Summe Rever. Facultas Theologica eidem contulit A. MDCIC. die 9. Novembris, exhibita in Panegyri Doctorali *Exercitatione Theologica de Evangelio mortuis annunciato ad 1. Pet. IV, 6.* quam exercitationem longe eruditisſimam die 1. Decemb. pro Loco in Facultate Theologica obtinendo tuebatur, & laudabiliter illa peracta a meridie ejusdem diei in Summe Rev. Facultatem Theolog. recipiebatur. Quo temporis tractu etiam Canonicus Reverendisſimi Capituli Miſenenſis, quod honoris officium Profesſioni Theologicæ annexum eſt, benigne ſalutatus fuit.

Cæterum, quod attinet officia ambulatoria, Aſſeſſor Concilii Academici Lipſienſis bis fuit ITTIGIUS. Similiter bis laudatiſſime gesſit munus Decani Facultatis Theologicæ, prima vice à die 17. Octobris A. MDCCI. usque ad MDCC II. altera vice die 18. Octobris A. MDCCVI. usque ad MDCCVII. ejusdem ſemper termini. Ante triennium eidem etiam ab inclyta Academia Lipſienſi Rectoris Magnifici munus oblatum fuit, quod tamen ob infirmitatem, & dolores laterum modeſte deprecabatur.

Profesſionem Theologicam ITTIGIUS quam maxime condecoravit eruditione ſua incomparabili. Sicut vero antea in lectionibus ſuis Profesſionis Extraordinariæ Theologicis Clementis Romani, & ex parte Barnabæ Theologiam, explicavit: ita in lectionibus publicis Profesſionis Ordinariæ porro in recenſenda Polycarpi, Hermæ aliorumque Patrum primævorum, & in primis Ignatii, doctrina continuavit, quem in finem etiam Bibliothecam Patrum Apoſtolicorum Græco-Latinam edidit. Collegia aperuit tam publica quam privata in hiſtoriam eccleſiaſticam quinque- vel ſex-ſecularem alia ſubinde methodo; de Scriptoribus Eccleſiaſticis priorum ſeculorum; de Autoribus hiſtoriæ eccleſiaſticæ veterioribus, recentioribus, particularibus & Chronologis uni-

univerſalibus; de rarioribus quibusdam Bibliothecæ ſuæ libris; ſuper B. Val. Alberti Intereſſe Religionum; in Pauli Stockmanni Elucidarium hæreſium &c. quibus accedere debebant, ſi Deus voluiſſet, Lectiones in hiſtoriam ſynodorum nationalium à Reformatis in Gallia habitarum. Verum officium tamdiu fecit, quamdiu Deus, ſenii vitium, laterumque ſuorum infirmitas permiſerunt.

Gaudium, lenimentum malorum, & otium ITTIGII prope unicum fuit inſtructisſima Bibliotheca, quæ ſelectus librorum Theologicorum eorumque pretioſisſimorum peregrinorum dici meretur. Numerus ad 7125. jam exſurgit, exceptis incompactis & quibusdam addendis; & quanquam non tam numeroſa ſit, ac plures aliæ Bibliothecæ, pretium tamen in eo latet, quod pura ſit Theologica, ex aliis Facultatibus parum immixtis libellis. Diviſio Bibliothecæ facta fuit hoc ordine, ut 1. Libri Biblici, 2. Commentarii in Biblia, annexis Conciliis, 3. Patres juxta ſeriem ſeculorum, 4. Lutherani ſerie Alphabetica, 5. Reformati, cum Arminianis, 6. Pontificii, cum Socinianis, Fanaticis & Pietiſticis, 7. Homiletici, & precum libri, 8. Philoſophici, quo titulo accedunt Philologi, hiſtoriæ literar. vitæ eruditorum, ac epiſtolæ, oratores & Poëtæ. 9. Hiſtoria univerſalis, & eccleſiaſtica. 10. Hiſtoria particularis Græciæ, Romano-Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Daniæ, Sueciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, atque demum Juridici libri. 11. Miſcellanea & Diſputationes appareant. Catalogus eſt duplex 1. Alphabeticus, ſeu Repertorium omnium librorum, (qui peculiari numero æri inciſo conſignati ſunt, juxta ordines modo nominatos) continens volumina tria in Folio: 2. Catalogus librorum juxta ſeriem materiarum deſcriptorum, continens volumina quatuor in 4to. Confidenter id aſſerere poſſum, ITTIGIUM nullos libros ſibi paraſſe ad vanam oſtentationem (hinc maxima ipſi moleſtia erat, ſi quis Bibliothecam multum laudabat) ſed potius ad ſuos uſus ſive præſentes ſive futuros; & perluſtravit utcunque omnes. Solebat etiam ſæpius inſcribere, ſive judicia Eruditorum de illo li-

bro, ſive refutationes, id quod, præter obſervationes locis ſuis adſcriptas, in frontiſpicio legere licet. Egregia quidem eſt Bibliotheca & tanto Theologo digna, ſed nunc utitur Bibliotheca cœleſti eaque perfecta in continua viſione Dei. Et quid juvaret caduca Bibliotheca niſi in tempore *lectione aſſidua & meditatione diuturna pectus ſuum Bibliothecam feciſſet Chriſti*, uti quidem verba hæc Hieronymus epitaphio Nepotiani inſcripſit.

Summam & divinam memoriam ITTIGIUS ſemper coluit librosque, quos poſſidebat, optime novit. Cumprimis Biblia & hiſtoriam eccleſiaſticam VI. priorum ſeculorum ad unguem tenuit. Non obliviſcar rei, quod, dum ante hos 4. annos Hungarus quidam S. Miniſterii Candidatus, heic Ordinationem in Eccleſia ſolennem recepturus, germanicam linguam haud tenebat, ITTIGIUS totum ritum Ordinationis latinis verbis, Germanicum ſaltem librum ritualem præ manibus habens, peregerit & prompte absque ulla hæſitatione recitaverit, cum maxima Venerandorum Dnn. Collegarum admiratione. Ex tempore etiam paginas in Lutheri operibus, aliisque libris a ſe lectis allegare & paſſim longas recenſere potuit, ut nihil dicam de congerie verborum ex Virgilio, Horatio, Cicerone, aliisque autoribus claſſicis in juventute memoriæ ſuæ impreſſorum. Studia enim, ad quæ Summus Creator eum vocaverat, ſic amavit ut cum Origene adamantius, cum Didymo Grammatico χαλκέντερος dici poſſet; & ad finem vitæ usque amavit. B. Sebaſtianum Schmidium, Theologum e primoribus Noſtrique ITTIGII Præceptorem, ipſo die mortis adhuc plagulam ex typographia emendaſſe dicitur: (s) Et ITTIGIUS tertio ante beatam ἀνάλυσιν die plagulam, ex Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſeculi 2. ſelectis capitibus, a me prius emendatam, ſibi prælegi adhuc paſſus eſt, ex quo incipiebat plane langueſcere, & nil niſi meditationes cum Deo inſtituere. Par erat lychnio, & aliis inſerviendo ſeſe conſumebat. Quot quæſo libros eruditiſ-

(s) vid. Lauterbachii vita fama & fata Val. Herbergeri p. 363.

Digitized by Google

ditiſſimos ſcripſit? Quot lucubrationes edidit? Quot relationes optimorum quorundam librorum celebratisſimo Collegio Actorum Eruditorum Lipſienſium per hos XXVIII. annos contulit? (ſ) In Excellentiſſimo Wagenſeilio, qui memoria quaſi cœleſti etiam utebatur, obſervavi dum ad manus ipſi eram, nullum librum typis commiſiſſe illum, priusquam ab Amico quodam doctisſimo relectus eſſet: Verum ITTIGIUS ſcripta ſua prout terſo fluidoque ſtylo concepta erant, poſt unicam ſaltem deſcriptionem, (literas enim ipſe non adeo bene ob properantem calamum pingebat,) & relectionem prelo dabat. Hoc opus, hic labor ITTIGII fuit, quibus officiis ſuis ſplendidisſimis ſatisfecit.

In matrimonium ſibi duxit ITTIGIUS Nobilisſimam Matronam SOPHIAM ELISABETHAM, Prænobilisſimo JCto, Dn. Anthonio Gunthero Bœshen, Hæreditario in Sietſch, Greideniz & Kylina, Conſiliario Electorali Saxonico, & Civitatis Lipſienſis Syndico gravisſimo ortam, tunc temporis relictam Conſultisſimi Viri Dn. Johannis Sigismundi Sultzbergeri, Ditionis Schleuſingenſis Præfecti, Viduam, cum qua A. MDCLXXXV. die 25. Januarii ſponſalia, & ſequenti die 16. Menſis Februarii Nuptias ſuavisſime celebravit, neque unquam in gratiam cum eadem redire opus habuit. At vero, quoniam uxor optima infirma plerumque valetudine utebatur, ſequenti mox anno MDCLXXXVI. d. 19. Decemb. ſine prole in locum piorum communem Beato nunc Marito præcesſit. Diſceptant alii, num magis proſit libros, an liberos gignere? Dicam egomet eſſe utrumque ex gratia Dei, &, cui vult, dat. Sobolis quidem procreationem omnes homines commune habent, docti & indocti, nobiles & plebeji, ſed bonos libros edere, ſi cumprimis ſint vere eruditi & utiles, præſtat ſine dubio tanquam opus difficilius faciliori, & proprium Doctorum. Et quantas curas ac miſerias immorigeri liberi piis Parentibus ſæpe

(ſ) conf. Act. Erud. 1710. Menſ. Maji p. 222. ubi ITTIGIORUM Fratrum Elogium inſertum eſt.

injiciunt? Ut hoc loco cum Autore libri Sapientiæ c. IV, 1. haud immerito exclamare poſſim: *Potior eſt ſterilitas conjuncta cum virtute, ceu cujus immortalis ſit memoria!* Facile etiam auſim verbis B. Johannis Michaelis Dilherri, Theologi quondam apud Norimbergenſes graviſſimi & Pauperum Benefactoris incomparabilis (quem, una cum Illuſtri Viro, Dn. D. MAGNO FETZERO, JCto Conſummatiſſimo diverſorum Principum, Statuum ac Reipublicæ Norimbergenſis Conſiliario immortaliter meritiſſimo, qui ex Dilherriano Legato ſtipendium Theologicum gratioſe mihi exhibuit, honoris & gratitudinis ergo nomino, laudadare autem ſatis nequeo,) mentem τοῦ Μακαρίτου noſtri ex parte exprimere: Jch kan es wohl mit Grund der Warheit bekräfftigen/ daß/ weil es dem Allweiſen GOtt gefallen / mir weder einen Sohn zu geben/ noch das einige Töchterlein/ ſo er mir gegeben hatte / zu laſſen / ich ſolches für eine groſſe Glückſeligkeit achte. Weil ich ſolcher Geſtalt vieler Sorgen und Hinderungen in meinem Studieren überhoben und befreyet bin. (t) Interea temporis ITTIGIUS viduus domum ſuam, ceu bono & benigno Patrifamilias convenit, benefaciendo laudatiſſime gubernavit, atque peculiare donum continentiæ a DEO ſibi conceſſum ſancte habuit. Tantum modo ipſe cibi & potionis adhibebat, ut reficeret vires, non opprimeret, nec vinum, niſi ultimis his annis ex Medicorum Experientiſſimorum juſſu, parciſſime ſumebat. Luxuriam enim in cibo, potu, olfactu, & veſtibus plane oderat, quod uno ore omnes mecum fatebuntur. Minor juſto erat ſibi in oculis ſuis, & hoc modo comprobabat aureum illud: *quo minor eſt quisquis, maximus eſt hominum.*

Ad caſus fortuito adverſos referam tria. I. Dum ITTIGIUS Archidiaconi ad D. Nicolai munus obiret, ipſo inter curas cubitum eunte, lychni in candelabro urentis forte oblitus fuit, cujus ignis per noctem ardeſcens plurima menſæ ſuæ adjacentia arripuit

(t) Dilherri Propheten-Schule / p. 295.

puit & conſumſit. Diluculo, quando ſurgere utcunque ſolebat, fumus cum fœtore igneo commixtus introeuntem Muſeum facile ſuffocavit. Animo tamen firmo acceſſit, & fugato fœtore libros nonnullos ex parte uſtos, quorum adhuc quosdam cauteriatos in Bibliotheca videre licet, liberavit. Ipſe ITTIGIUM A. MDCCIII. feſto Michaëlis ſ. Angelorum, audivi pro concione Deo & ſanctis Angelis devotas gratias ſolventem pro præſtita hac ex incendii periculo liberatione,& cuſtodia angelica. Niſi enim Angeli ex Dei mandato eum cuſtodiviſſent, & ignem deflammaſſent, maximum incendium oriri & miſere conſumi potuiſſet. II. Oculis eheu! meis vidi, obſtupui, ſteteruntque comæ, & obſtupeſco quoties cogito, ITTIGII noſtri A. MDCCVI. die 9. Junii mane templum frequentaturi delapſum a ſcala, per undecim gradus, & quidem anteriore corporis ſui parte, infeliciſſimum. In hoc tamen graviſſimo periculo ex ſpecialiſſima Dei providentia adeo cuſtoditus erat, ut Ædem ſacram primo intuitu adhuc introire cogitaret, niſi de præſenti periculo admonitus a nobis fuiſſet, dolores deinde quosdam perſentiſcens. Immortales Deo meo exſolvo gratias pro hac Gratia ſua, qua, ſi excipias levem dextri brachii læſionem, vivus nobis ſervatus fuit. III. ITTIGIUS hoc ipſo anno MDCCX. d. 8. Februarii noctu ſe traditurus quieti e lecto relabitur, & terræ proſtratus ad horæ quadrantem, infirmus ſcilicet morboque confectus jecit, antequam ſurgere potuit; quandoquidem ſolitudo per noctem quoque nimium eidem arridebat. Sed & ex hoc periculo a Deo clementiſſime liberatus & ſervatus fuit plane incolumis. Benedictum ſit Nomen Domini, cui etiam pro hac Gratia laus, honor & gloria debetur! Qui enim ita fieri poterat, niſi Dominus exercituum ITTIGIO, ſicuti quondam Jehoſuæ Sacerdoti magno (u) dixiſſet: *Tu cuſtodies atria mea, tibique inter iſtos ſtantes tranſitus dabo*, ſc. incedere inter Angelos ſine periculo.

C 3 Dicant

(u) Zach. III, 7.

Dicant nunc alii perſpicaciores ex D. THOMA ITTIGIO emicuiſſe Lutheri zelum cum Brentii lenitate conjunctum; Selnecceri conſtantiam in vera fide; Lyſeri gravitatem cum humanitate conjunctam; Hœpfneri ſtudium pro Eccleſia; Hülſemanni judicium; Geieri ædificationem & pietatem; Carpzoviorum animum virilem ac fortem; Scherzeri accuratam ſublimitatem; Alberti perſpicuitatem; denique Lehmanni curam paſtoralem ac modeſtiam. Ego de virtutibus ITTIGII Theologicis, quarum magnus eſt exercitus, ut multa ſcribam, nec pudor ejus patitur, nec per ingentia ipſius erga me beneficia licet, ad evitandam adulationem. Sufficiat mihi, appellando nomen ITTIGII, per tranſennam quasdam aſpicere, & veritatem coram aſpectu Dei aſſerere. Annon erat pius? humanus? placidus & ſimul quietus? candidus & citra omnem affectationem? in ſeriis gravis & ſerius? atque mirum in modum liberalis?

Columna erat ITTIGIVS his malis temporibus & murus aheneus: precesque ad Deum Triunum crebras devote mittebat pius Senex. Senes vero eccleſiæ quam maxime ſaluti eſſe ſolent. Quo enim infirmior his ultimis quinque annis corpore erat ITTIGIVS, eo firmior ſpiritu & conſilio uberior, eo purior in defendenda veritate cœleſti, eo validior precibus ſuis. Non quidem ſonora voce multum clamitabat, tacite tamen in ſpiritu & fide orare ſolebat exemplo Moſis, cui nihil adeo verbis eloquenti Dominus dicebat: *quid clamas ad me?* (w) Cum Davide optimo precum Magiſtro *utique ad Deum ſilens reſpiciebat anima ejus, quia ab ipſo ſalus ejus*. (x) Econtra B. D. Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius, Patronus antea meus & Tui amiciſſimus, ex libertate ſua Chriſtiana alta voce potenter ad Deum, diverſoque linguarum genere, orare ſolebat. Precatio verbi gratia matutina latine, græce, germanice, hebraice & ex parte hiſpanice fiebat hunc in modum: *Sancta & individua*

(w) Exod. XIV, 15.
(x) Pſalm. LXII, 1.

vidua Trinitas, Pater, Fil. & Spiritus S. adſis nobiscum in Auditorio noſtro, exaudi preces, veni ad nos, ne decuncta, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Amen! Sebla. κύριε ἐλέησον, χριςε ἐλέησον, κύριε ἐλέησον — HErr GOtt Vater im Himmel erbarme dich über mich; HErr GOtt Sohn der Welt Heyland erbarme dich über mich; HErr GOtt Heiliger Geiſt erbarme dich über mich und ſey mir gnädig! Jch dancke dir mein himmliſcher Vater/ durch JEſum Chriſtum/ ꝛc. cum oratione Dominica, ſymbolo Apoſtolico, precatione pro uxore, liberis, Academia & Magiſtratu germanice. Quibus & aliis ſequebatur (*y*) זָכְרָה־לִּי אֱלֹהַי לְטוֹבָה item cum Jeremia: (*z*) חֶלְקִי יְהוָה אָמְרָה נַפְשִׁי עַל־כֵּן אוֹחִיל לוֹ: Claudebatque interdum dicto quodam Hiſpanico & peculiari oratione pro converſione Judæorum. Hic Wagenſeilius, quamdiu propter vires poterat, flexis ſemper genibus orabat: Ita pius ITTIGIUS. Quare non amplius ſubit miratio, quam cum prima vice viderem hujus genua cute multum obducta. De Jacobo Minore, qui frater Domini dicitur Gal. I, 19. Hegeſippus (*aa*) inter alia refert, quod genua ejus ob crebras geniculationes inſtar cameli occalluerint. ITTIGIUS ſane, quod ſæpe alii domeſtici mecum tacite mirati ſunt, cutem ex geniculatione adeo obductam habebat, ut, cumprimis in ſiniſtro genu, vel ipſo inſciente particulas decerpere & abſcindere liceret. Quamvis vero non inficias ibis, REVERENDE PATER, pium & vere illuminatum Theologum fuiſſe ITTIGIUM, tamen coram Deo peccatorem ſe humillime confeſſus eſt ob amiſſibilitatem Gratiæ, & pœnitentia iterata Deum ſibi reconciliavit, perfectionis, ut quidam temerario auſu faciunt, ſibi inſcius. Cum S. Johanne Apoſtolo profeſſus eſt: *ſi dixerimus,*

(*y*) Nehem. XIII, 31.

(*z*) Thren. III, 24.

(*aa*) apud Euſebium Lib. 2 hiſtor. eccleſ. c. 23. conf. ITTIGII hiſtoriæ eccleſ. ſeculi I. Selecta Capita p. 446.

Digitized by Google

mus,peccatum non habemus: nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt, (*bb*) nec non cum Clemente Romano: *Quamdiu ſumus ſuper terram pœnitentiam agamus: lutum enim ſumus in manu artificis.* (*cc*) Interim proximum neminem læſit, vel injuria, fraude & malo aliquo affecit.

Humanitatem ITTIGII exteri & vicini, interque hos in primis DNN. Collegæ, quos reverenter ſemper coluit, ac Paſtores Diœceſeos Lipſienſis, quorum XC. facile numerabantur, ſatis deprædicare non poſſunt. Quærentibus liber aditus patebat, & paucis verbis prompte reſpondebat. Quot vero verba, tot pondera. πολύλαλος enim non erat, quandoquidem de omni verbo otioſo rationem reddere in extremo judicio tenemur, neve eximatur dies, peregrinos mox dimitti patiebatur, quo ſic ad officii labores redire poſſet. Πολύλαλος δὲ καὶ δυνατὸς ἦν ἐν λόγῳ σὺν Θεῷ, καὶ περὶ τοῦ Θεοῦ. Deus enim in cœlo eſt, & nos ſuper tertam ſumus, idcirco ſint pauci ſermones noſtri, (*dd*) Sapientiſſimus Regum inquit, Salomo. Inanes adeo & peccatis contaminatos jocos ſerio vitabat, neque tamen argutas ſuas facetias inter bonos reticebat. Triſtem haud facile ullum a ſe dimiſit, niſi ratione officii adductus veritati magis, quam voluntati hominum aſſurgere oporteret. Petentibus Librorum copiam humaniſſime ſatisfecit, & conſilia erudita ſive Studioſis, ſive aliunde venientibus ſæpe communicavit, quamvis alias ſocietates & gaudia mundana valde averſaretur.

Placide ſimul & quiete omnino vivebat PRÆSUL noſter Sapientiſſimus; cum præſertim a Miniſtris Verbi & Theologis requiratur, ut quietam & tranquillam vitam agant in omni pietate & honeſtate. Ita enim faciendo docuit ITTIGIUS, ut bis doceret. Sua non quæſivit, ſed Dei honorem & Auditorum ſalutem; qua-

(*bb*) 1. Joh. I, 8.
(*cc*) Epiſt. 1. ad Corinthios edit. Lipſienſis Ittigianæ p. 111. 112.
(*dd*) Kohel. V, 1.

quapropter placide prævidit tela immiſſa, quo haud nocerent. Qua occaſione non poſſum non, quin repetam B. D. Friderici Balduini verſiculos egregios, quos ITTIGIVS noſter, in oratione parentali immortali memoriæ Samuelis Benedicti Carpzovii, ſummi Theologi ſacra, Carpzovio ſimulque ſibi ſingulari cum emphaſi applicavit, eosque dignos habeo, ut bis vel ter legantur:

Inceſſunt? *taceo.* Culpant? *fero.* Crimina ſpargunt?
 Diſſimulo. Mordent? *absq; dolore meo.*
Obtrectant? *ſileo.* Ringuntur? *rideo.* Vulgo
 Traducunt? *patior.* Dant mihi damna? *ſino.*
Aſpiciunt torvis oculis? *ego mitius illos*
 Aſpicio. Turbant cuncta? *quiete fruor?*
Latrant? *non moveor.* Frendent? *non curo.* Minantur?
 Nil timeo. Torquent labra? *laboro nihil.*
Inſidias ponunt? *evado.* Petunt caput? *oro.*
 Peſſima molitis. *Optima quæq; precor.*

Solitudo mirum quantum ITTIGIO arriſit exemplo Cardinalis Ximenii, *(ee)* quod pauci quidam minus ſapienter carpebant. Si in ſolitudine tranquillus ac pene ultra modum verecundus fuit, refert ſane Theologi, ſi peractis laboribus ſuis ſacris bene latuit, ſic enim bene vixit. Requirunt tot officia continue in publicum prodire, & hoc ſine ulla contradictione fecit ITTIGIVS, ſed otioſas converſationes honoris cauſa inſtituendas ſæpiſſime neglexit. *Πολίτευμα* ITTIGII in cœlo erat, quod patet ex ſymbolo ipſius Studioſorum albis toties inſcripto: *μέλλουσα μένουσα.* *(ff)* Quando nimiam quis ſolitudinem eidem objiciebat, ajebat: *Deus meus prope eſt.* Et ita eſt, novit Dominus ſuos. Quo pio acrologo *Novit Suos Dominus* mirum in modum olim delectatus eſt

D B.D.

(ee) refert ex Flechier dans l'hiſtoire du Card. Ximenes libr. I. p. 12. Clariſſ. Dn. M. Erdmann Uhſe, Fautor meus æſtumatiſſimus in diſputat. de Erudit. ſolitud p. 5.

(ff) Ebr. XIII, 14.

Digitized by Google

B. D. Nicolaus Selneccerus, Propugnator Lutheranæ religionis & Superintendens Lipſienſium Celeberrimus, qui id in exilio ſuo eleganter ita explicavit:

Novit Suos Dominus bene:
Timeo quid ergo, inter malos
Seu pſeudadelphos, ſeu meos
Hoſtes apertos, de grege,
Calvine, Lojola &, tuo,
Aliasque [illegible] noxias
Nec non lupos tyrannos?

Domino huic meas mando vias
Precibus piis hunc invoco,
Ejusque verbum prædico,
Sequorque, lumen ut nitens
Divinitus mihi datum,
Quo recreor mea in cruce,
Medicamine ut ſuaviſſimo, &c. (gg)

Pertinent etiam huc fortaſſe ea, quæ Tycho Brahæus in elegia de exilio ſuo ſcribit: (*hh*)

Dania quid merui, quo te mea Patria læſi,
Usq; adeo ut rebus ſis minus æqua meis?
Scilicet illud erat, tibi quo nocuiſſe reprendar,
Quod majus per me nomen in orbe geras.

— — — — —

In Patria latui, toto bene cognitus orbe,
Ut multos alios delituiſſe liquet.

Dicent interea in congreſſibus ſuis non ſine dolore de obitu

D.

(*gg*) vid. L. Georg. Weiſſii Pſeudoprophetophonia ſ. diſſertatio de horrendo ſupplicio Achabi & Zidekiæ p. 6.

(*hh*) Halæ Sax. A. 1613. ex Bibliotheca Joach. Morſii edita.

Digitized by Google

D. *THOMÆ* ITTIGII, Viri in Germania, Dania, Suecia, Belgio, Britannia, Gallia & Italia, hac ætate doctiſſimi, ſive ſint adverſarii, ſive admiratores. Si ita ſe habent, quæ per literas mihi indicata ſunt de illuſtri inter Eruditos oraculo, Guilielmo Caveo, in conſpectu Clariſſ. Dn. Ritteri, adverſam ITTIGII, Hoſpitis olim ſui, valetudinem narrantis, lacrymas fudit acerbiſſimas; & coram Viro Prænobiliſſimo Dn. Gottl. Schelguigio jam Profeſſore Philoſophiæ primæ ac pract. itemque Bibliothecario apud Gedanenſes Clariſſimo, pari modo, ſed alio tempore morbum ITTIGII chronicum referente plane perterritus cum horrore dixit: *Si ITTIGIUS moritur, tædet me amplius in mundo vivere.* Nam *ſi idem unquam ſtudiorum curſus amicorum animos arctius conjunxerit, in mutua noſtrum amicitia id fieri neceſſe eſt. Tu etenim omnis Antiquitatis Eccleſiaſticæ angulos eximia cura & diligentia perſcrutatus es; Eandem & ego ſemitam, licet haud pari paſſu calcavi, ab ineunte ætate hoc ſtudiorum genere mire delectatus, at parum proficuus, &c.* ſcribit magnum illud inter Eruditos Nomen, *WILIL CAVEUS*, in literis III. id. Aprilis hujus anni in Colleg. Windeſorienſi ad ITTIGIUM ſuum, tunc pie mortuum exaratis, atque his proxime diebus transmiſſis. Quid vero nunc dicturus erit Caveus, quam largiter cum aliis quibusdam exteris ITTIGII mortem lacrymabit? Etenim commercium literarium, quantum occupationes & vires permittebant, inſtituit cum eruditiſſimis Viris Illuſtribus pariter ac Clariſſimis, Abbate Bignonio, Caveo, Fechtio, Mayero, J. A. Schmidio, Sonntagio, Weickhmanno, Schelguigio, Meiero, Pippingio, Löſchero, Wernsdorfio, Feuſtkingio, Förtſchio, Weiſenbornio, Arculario, Cypriano, J. A. Fabricio, Kettnero, Storrio, Frickio, Wedelio, Crenio, Gleitsmanno aliisque, ut nihil dicam de illis, qui hactenus & dudum obierunt. Scripta quoque ITTIGIANA toto orbe literario bene cognita admiratores ſuos habent & lectores; ergo non delituit.

Candidus & citra omnem affectationem officia ſua peregit ITTIGIVS, canæque & Franconicæ fidei a Majoribus acceptæ tenax, fucum ex animo deteſtatus eſt. Sub pio colloquio amarulentiam erga Viros bene meritos non vendidit, ſed candidus impertivit, resque ſuas fecit ceu decet virum bonum. Τὰς ἐξ ἐναντίας teſtes appello, num fraudem unquam, vel in ſcriptis, vel in factis, commiſerit? Annon

Integer vitæ ſceleriſque purus?
Non eget Mauris jaculis, neq; arcu,
Nec venenatis gravida ſagittis,
Fuſce, pharetra. (ii)

Qui literas, & cumprimis ſacras colunt, eos ſumma ope niti decet, ut veritas ubique eluceat ex ſcriptis pariter ac verbis, eaque cum perſpicuitate conjuncta. Hanc laudem præſertim in TE, VIR SUMME REVERENDE, extollunt, quotquot TE, & ſcripta Tua penitius norunt. Ecquis vero unquam difficultatis, obſcuritatis vel falſi jure accuſavit ITTIGIVM? Annon ſumma perſpicuitas in ſcriptis ejus, quibus æternitas debetur, deprehenditur? quippe quæ virtus Theologica in FECHTIO & ITTIGIO nunquam ſatis laudanda erit?

In ſeriis gravis ac ſerius erat THOMAS noſter Diſcipulus Chriſti, memor videlicet graviſſimi muneris animæ ſuæ concrediti, de quo Chriſto JEſu judici vivorum & mortuorum rationem reddere tenebatur. (kk) Hinc ad ſanguinem usque dimicavit pro vera & pura noſtra religione, ex Verbo Dei in Libris ſymbolicis præſcripta, imo propriam vitam puritati Doctrinæ poſtpoſuit: *Zelus enim in officio, & ira dies minuunt, & ſolicitudo præmaturam inducit ſenectutem:* (ll) Et *bonus Paſtor dat vitam pro ovibus.*

(ii) Horat. libr. I. Carmin. ode 22.

(kk) conf. B. Carpzovii Actus inveſtituræ Ittigianæ p. 76. ſeq.

(ll) Sir. XXX, 26.

Digitized by Google

vibus. (*mm*) Sicut Jacobus, Johannes, & Cephas ævo Apoſtolico columnæ eſſe videbantur eccleſiæ: (*nn*) ita Carpzovius, Seligmannus & Ittigius Columnæ eccleſiæ Saxonicæ hiſce annis eſſe videbantur. Hic requirebatur gravitas, & ſeria cura. ITTIGIUM noſti, *o Theologorum Princeps*, quod longe abſuerit ab iis, qui incuria ſua non conteruntur ob contritionem Joſephi, quin potius fata eccleſiæ noſtræ debito veritatis cœleſtis zelo, & pia cura perpenderet. Mirum adeo non eſt, eum fata Theologorum graviſſimorum eſſe expertum. Poſtquam B. Johannes Valentinus Andreæ, pientiſſimus ille Theologus, Germaniæ fatum in omnes pariter diverſarum religionum partes longe duriſſimum doluerat, in Umbra B. Johannis Sauberti, Theologi Norimbergenſis, (*oo*) in Weigelianos Lutheranis potiſſimum infeſtos alioſve ita invehit: *Male ſit illis noſtris flagellis fanaticis, quorum bilis melle ſublita: venenum ſaccharo tectum: diſſolutio ſanctitate obvoluta: charoque ſpiritu neſcio quo larvata, immane, quem fucum ſimplicioribus faciunt, a cordatioribus detecti, intolerabilem fœtorem edunt, quos fumoſos, ventoſos & moroſos prodere, eſt convincere & depellere, cum tenebris & cuniculis maxime valeant, in lucem vero producti, ſponte evaneſcant.* — p. 640. *Hoc illud Saubertinum agere fuit & pati: agere bona, & rei Chriſtianæ neceſſaria, pati mala, & meritis indigna; prodeſſe omnibus & adverſos habere pleroſq́. — Hoc illud ſine ferro martyrium, hoc ſine culpa ſupplicium. Ita mundus. Chriſtus ipſe expertus eſt.* Hoc illud ITTIGIANUM agere fuit & pati: agere bona, & rei Chriſtianæ neceſſaria, pati mala & meritis indigna. Ita mundus. ITTIGIUS expertus eſt. Vivum teſtimonium de gravitate ITTIGII prodit Summe Rever. Miniſterium Lipſienſe in Leſſu ejus Funebri:

(*mm*) Joh. X, 12.
(*nn*) Gal. II, 9.
(*oo*) Hanc Umbram ſ. vitam Sauberti A. 1647. delineatam totam exhibet Witten. memor. Theolog. decad. V. p. 629.

Digitized by Google

Exemplar heu! veræ pietatis &
Veræ ſalutis Doctor erat Tuus
Qui rexit olim! luctuoſa O!
Lipſia, Præſul oves gregemque.
Priſcæ tenax ſemper fidei: Hæreſes
Gentis ſuæ, ceu incendia montium
Horrebat: acer veritatis
Tutor Apoſtolicæ perennans.

Similiter in Jubilo Anagrammatico, quo Lipſienſis Academiæ jubila nuper canebat, & elogia Doctorum anagrammatica exhibebat Plur. Reverendus Dn. M. Zimmermannus, ITTIGIUM num. IV. ita laudat:

DO. THOMAS. anagr. HOS DOMAT.

Indomitos hoſtes *domuit* tumidosque *Domator*,
Hos & adhuc, monſtrant publica ſcripta, *domat*.

Apud Romanos delinquentes in certaminibus olim deportabant ignobile pretium. Clemens enim Romanus ſcribit (*pp*) *quod, qui corruptibile certamen certat, ſi inveniatur delinquens, flagris cæſus expellatur, & extra ſtadium protrudatur*; Et Suetonio (*qq*) referente *illi, qui ab aliis victi, ſcripta ſua ſpongia linguave, ex Caligulæ inſtituto, delere jubebantur, niſi ferula caſtigari, aut proximo flumine mergi vellent*. At nihil tale in certaminibus Theologicis metuendum fuit de ITTIGIO, qui πανοπλίᾳ Dei indutus, ἐν δυνάμει Θεοῦ διὰ τῶν ὅπλων τῆς δικαιοσύνης τῶν δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν (*rr*) ſemper evaſit victor.

Ita VICIt DoCtor ThoMas IttIg.

Quod attinet ITTIGII liberalitatem erga Amicos & paupe-

(*pp*) Epiſt. 1. ad Corinth. c. 8. Edit. Lipſienſ. per Ittigium p. 111.
(*qq*) in vita Caligulæ cap. 20.
(*rr*) 2. Corinth. VI, 7.

res, plane peculiaria & pene miranda poſſent adduci, niſi modeſtia Beati id mihi prohiberet. Dicam homericum illud:

— — πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν,

Mitis erat ut Pater (*ss*) Et quoniam vel Patre liberalior pauperesque pecuniæ præpoſuit, poſt obitum parum paratæ pecuniæ, pro ratione nimirum officiorum, reliquit. Quoniam etiam in vita tanta bonorum temporalium cura haud tangebatur, ex inopinata morte plane nullam rerum ſuarum terrenarum diſpoſitionem fecit. B. Dilherrus, Theologus & Pater pauperum optimus, meminit (*tt*) ſe ex ore Theologi conſummatisſimi D. Joh. Gerhardi ſæpius audiviſſe verba: *malle ſe vineas, agros hortosque divendere, quam inopem verbo duriore excipere, aut ſine ſtipe dimittere.* Hanc virtutem theologicam quam maxime ITTIGVS in vita exercuit, quod exteri & inquilini, Amici, Studioſi, quippe quibus duplex ſtipendium ex propriis ſumtibus quaternis anni vicibus erogavit, & cujuslibet generis egeni grata mente æternum teſtabuntur: *neque enim a carne ſua*, ſive cognato ſive proximo egente, exceptis quandoque flagellis illis fanaticis, *ſe unquam abſcondidit.* (*uu*) Omnes adeo nos Comici effatum nimis verum eſſe dicimus, & poſthac dicemus:

Tum denique homines noſtra intelligimus bona
Cum quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

Pro his vero ſponte exhibitis beneficiis Deo ſit laus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſit Beati *clypeus & merces ejus valde magna:* (*ww*) *Benignitas hæc inſtar ſigilli coram ipſo ſit, & beneficium hoc conſervet tanquam pupillam.* (*xx*)

Jam

(*ss*) Homer. Iliad. ω. quod Hemiſtichium C. Plinius de Paulino adhibet lib. V. epiſt. 19. edit. Hall. ex recenſ. Thomaſii p. 382.
(*tt*) in Laudatione funebri B. Gerhardi.
(*uu*) Eſa. LVIII, 7.
(*ww*) Gen. XV, 1.
(*xx*) Sir. XVII, 18.

Digitized by Google

Jam proprius ad morbum ITTIGII & vitæ exitum. Morbum quantum attinet, ITTIGIUS natura optima & corporis valetudine firma ad 62 uſque annum non ſine admiratione hominum fruebatur. Ab iſto autem tempore corruptio ſanguinis, dolores calculi a vehementioribus vomitionibus initium capientes, quos lapillorum quorundam excretio deinde ſecuta eſt, & acerbisſimus morbus, quem Hippocrates & Galenus *δυσουρίαν* appellant, aliaque ſymptomata incrementa ſua habuerunt & decrementa. Quas horas & moras pasſionis ſuæ, a Deo paterne ſibi impoſitas fuisſe, ITTIGIUS animo pio, placido & obſequioſo profeſſus eſt. Putarunt nonnulli, morbum hunc asſiduis ſuis & concatenatis pro ratione officiorum laboribus ſacris, aliisque tentationibus ſibi procul dubio creaſſe & acquiſiviſſe: vetus enim dictum alias verisſimum manet: *multos magnos morbos quiete & abſtinentia curari.* At ſenſu ſuo alii abundent; nunquam cauſæ deerunt tam morbi quam mortis; ſive enim quieſcebat ITTIGIUS, ſive laboribus indulgebat, redibant ſuo tempore dolores. Atque tandem *hæc miſera ad libros aſſidue ſedentium ſtipendia* eſſe ſcribit auguſtum illud nomen Jacobus Thuanus de Heurnio Medico. (yy) Quot quæſo eruditisſimi viri calculi doloribus, Eruditorum ſtipendio & tortore laborarunt? quot conſumti ſunt? Non tam dicturus ſum hoc loco de Phil. Melanchthone, Brochmando, Luc. Pollione, Joh. Schmidio, Dilherro, Wagenſeilio, qui pari modo ultra quadriennium acutisſimos calculi dolores perpeſſus eſt, Seligmanno, cujus portentoſum calculum eruditisſimo carmine elegiaco deſcripſit Vir Excell. Lud. Chriſt. Crellius, aliisque; quam ſolum de Celeberrimo Theologo pioque Norimbergenſium Antiſtite Johanne Sauberto, cujus calculum X. unciarum in percelebri Bibliotheca Norimbergenſi aſſervatum oculis meis cum ſtupore uſurpavi. Nequeo mihi temperare, quo minus laudatum ſupra Joh. Val. Andreæ iterum producam de Sauberto perorantem: *Si quis annumerare voluerit,*

quæ

(yy) Hiſtor. libr. 126.

quæ corpore tot annis tulit ſtigmata, crucisque Chriſti ſimulachra, morborum & torminum omne genus, totumque ſatellitium mortis quotidianæ ac illum imprimis ſtimulum carnis, calculum X. unciarum pene monſtroſum, tortorem diu noctuque, tandemque carnificem ſuum, ſed patientiæ incredibilis teſtem & gemituum expreſſorum indicem, ne ille apud æquanimos pervincet, non delicatum Martyrem Saubertum ſed cum quovis alio in hac arena exercitatisſimo conferendum fuiſſe, ut ſi minus ſanguinem, ſuccum tamen omnem, & totius fere vitæ commoda & delicias, quibus perfrui vix unquam datum eſt, totas impendiſſe. (zz) Quæ plurima de ITTIGIO Martyre quoque non delicato dici poſſunt, etſi calculus talis, qualem Experientisſimi Medici metuebant, poſt mortem, ex interdicto ſuo, inveſtigari haud debuit. Ajunt Norimbergæ pium Saubertum ob dolores hosce ad ingentes clamores edendos adactum quondam fuiſſe, quos inter dolores calculi egregium illum hymnum eccleſiaſticum: **Ach! wie ſehnlich wart ich der Zeit / wenn du / HErr / kommen wirſt / ꝛc.** etiam compoſuit; & B. Wagenſeilium dies noctesque ſæpisſime audivi clamitantem. Verum ITTIGIVS incredibili patientia & conſtantia acutisſimos illos calculi dolores paſſus eſt, absque lamentatione & ullo clamore, potius in ſilentio & ſpe. Dicat quis, cur pii optimique mortalium, (quales Saubertus & Ittigius fuere) tantos dolores & cruciatus adeo diu patiuntur? Ego manum ori imponens, imperſcrutabiles eſſe vias Dei occultas pie credo. Quia ITTIGIVS acceptus erat Deo, neceſſe fuit, ut tentatione probaretur. (aaa) Voluntas Dei ſola bona eſt, nobis etiam non intelligentibus: *ſi vis, Domine, poteris me ſanare.* bbb) ſæpisſime orare ſolebat ITTIGIVS; dumque noluit Dominus, en! exemplum patientiæ inſtar Hiob Auditoribus ſuis eſſe debebat, quibus non ſolum pie viam ſalutis monſtrabat, ſed etiam patienter

E viam

(zz) In Umbra Sauberti, vid. Wittenii Memor. Theolog. decad. V. p. 640.
(aaa) Tob. XII, 13.
(bbb) Luc. V, 12.

viam crucis incedebat. Id exploratum habeo per hos quinque annos dolorum, & coram Deo ſcrutatore cordis mei affirmare poſſum: quo erat infirmior, eo melior, eo humanior, eo patientior erat ITTIGIVS. Hoc fieri non potuit aliter, quam per Chriſtum, & continua vitæ æternæ recordatione. *Ideo*, dicente Auguſtino, *Chriſtiani facti ſumus, ut ſemper de futura vita cogitemus, & plus pro anima quam pro corpore laboremus. Ibi* enim *gaudium infinitum, lætitia ſine triſtitia, ſalus ſine dolore, via ſine labore, lux ſine tenebris, vita ſine morte, omne bonum ſine omni malo.* (*ccc*) Re ipſa igitur Noſter demonſtravit requiſitum Ignatii (*ddd*): *μὴ μόνον καλεῖσθαι Χριστιανὸν, ἀλλὰ καὶ εἶναι.* Si dicente Megalandro noſtro Luthero: *non eſt Chriſtianus, qui non eſt crucianus;* mirum adeo non eſt crucem, colorem Chriſtianorum proprium, propter Chriſtum cum gaudio tuliſſe ITTIGIVM. Inter vehementiſſimos ſuæ crucis dolores gaudio ſpirituali per Chriſtum JEſum abundanter repletus omnino erat, non timens mortem, ſed beatam *ἀνάλυσιν* lætus diu expectans, quam quidem præ vita ſibi apprecari, a Viris bonis & amicis, ſæpius volebat. Seneca ſcribit: *gaudium cordis naſcitur ex virtutum conſcientia: non poteſt gaudere niſi fortis, niſi juſtus, niſi temperans* (*eee*) Et vero hic Diſcipulus Chriſti *THOMAS* noſter præter has virtutes ſuas, ex vera fide in Chriſtum ſuperabundans gaudium in morbo ſentiebat. *Cum gaudio & fiducia accedebat ad thronum gratiæ, & conſecutus eſt miſericordiam, & gratiam invenit ad opportunum auxilium.* (*fff*) Auxilium etiam temporale alternis vicibus poſt dolores ſuos invenit, quo officiorum ſuorum partes, licet aliquando infirmus peregit. Per tot vero exacerbationes morbi ſui chronici nimias, toties lenimenta benigniſſime a Deo ſibi

(*ccc*) Auguſtin. in Soliloq. c. 35. p. m. 184. ſ. Tom. 9. oper. p. 788.
(*ddd*) Epiſtol. ad Magneſian. c. 4.
(*eee*) Epiſt. 27. & 59.
(*fff*) Ebr. IV, 16.

ſibi conceſſa; atque tot annis pro ſalute eccleſiæ noſtræ in vita conſervatum fuiſſe ITTIGIUM, ſeriis piorum cordium, cumprimis Confratrum ſuorum Paſtorum Eccleſiæ, precibus, non immerito adſcribo.

Fuit hic Lipſiæ recens nunc mortua mulier quædam pia, æditui quondam defuncti ſoror Maria Zieglerin, quæ flores exſiccatos, quibus Templi Nicolaitani altare per æſtatem condecorari ſolet, ex amore in flores nimio collegit. Et accidit forte, ut, ineunte Anni 1706. hyeme ſuper flores plane exſiccatos illos thyrſum liliorum alborum ex Ittigiano horto aſportatum diuque ſiccatum, iterum virentem & elegantiſſimos liliorum alborum flores quosdam germinantem, intra hypocauſtum aſpiceret; illa fauſtum omen pro ITTIGII tunc graviter ægrotantis vita revireſcente habebat, additisque votis pium animum teſtatura ITTIGIO noſtro plures annos ſerio apprecabatur. Quidam hominum rem admirabantur, & pro omine felici explicabant: ITTIGIUS autem, ut erat, flocci habebat. Neque hoc loco mentionem illius rei feciſſem, niſi thyrſum illum liliis variis ornatum, vitroque ſpiritu conſervante repleto incluſum, in Celeberrima Magnifici Senatus Lipſienſis Bibliotheca aſſervatum, nuperrime iterum vidiſſem. Rumor contra, ut fit, ante hos aliquot annos bis enatus erat, ITTIGIUM jam eſſe mortuum. Si maleferiati homines id ſibi ſomniarunt, & mortem prænunciarunt, decepti tunc fuerunt, ut quondam ITTIGII noſtri hortulanus. Accidit enim A. MDCLXXX. graſſante peſte, ut fama per Urbem innotuerit, ITTIGIUM noſtrum mortuum quoque eſſe. Hortulanus facile credulus ſibi proſpicere adeo voluit, & radices plantasque optimas eradicavit. Dum in eo eſt, illo ipſo die funus concomitandum fuit, & forte fortuna ITTIGIVS a funere hortum ſimul intrat ſuum, deprehenditque in furto hortulanum, quem vero ſtatim loco ſuo removit, & exire juſſit. Si boni viri id cogitarunt, ITTIGIUM eſſe demortuum, ob terrorem fu-

turi poſt mortem mali facile fecerunt, cum Epiſcopo Leontio dicentes: *Hac nive liquefacta multum ſequetur luti.* Ediſſerat Hippo, nobilis illa Africana urbs, quid intulerint ipſi, decedente Auguſtino, Vandali, quid Ariana Hæreſis? Ediſſerat Lipſia, nobiliſſimum Saxoniæ ornamentum, quæ bella & alia mala ſecuta ſint, A. 1623. decedente D. Vinc. Schmuckio? A. 1633. decedente D. Polycarpo Lyſero? A. 1642. decente D. Henr. Höpfnero? ut plura recentiora taceam. At enim vero, PATER ac PATRONE COLENDISSIME, eheu ingemiſcendum jamjam nobis hic eſt: *O Deus in quæ tempora nos reſervaſti!* Miſereatur noſtri Deus propter Chriſtum! Cauſas optime noſti.

Ad morbum ut pauliſper redeam, varii varie demum judicarunt. Laboribus, curis & ſenio confectus jam erat ITTIGIUS, neque vires colligere ob dolores ſuos poterat. Paucis tamen ante obitum diebus, quoniam aliqualem dolorum remiſſionem ſentiebat, a Medico quodam alioquin ſatis felici pro ſananda maſſæ ſanguineæ corruptione ſcorbutica media Mercurio mixta ſibi præſcribi paſſus eſt. Horum uſus, cum altero ſtatim die, quo paroxyſmus mali inveterati redierat, nempe d. 4. Aprilis non ſatis conſiderate, ex Medicorum veterum Experientiſſimorum judicio, inciperetur, a nonnullis improbatus quidem fuit, ut fit, circa eventus dubios; ſed per novum hunc annum indies magis deficiebat, & exitus vitæ omnium conſenſu appropinquabat, antequam illa remedia per unum cum dimidio dierum adhibita bibit. Non tam igitur Medico, quam Deo ultimum auxilium adſcribendum eſſe puto. Diſſolvi & eſſe cum Chriſto exemplo Pauli anxie deſiderabat ITTIGIUS, idque ex Domini vitæ ſuæ ac mortis, bona voluntate. Dumque ex gratioſiſſima Chriſti apparitione anima ejus poſt tot dolores refici debebat, paratisſimus erat ad mortem.

Quinto Menſis Aprilis die ITTIGIUS ſenſu ac memoria propter nimiam infirmitatem ultro citroque deficere, & a meridie

in

Digitized by Google

in lectum ſe recipere incipiebat. Altero die, a pia antiquitate Judica dicto, ſacram euchariſtiam ſaluberrimum animæ viaticum accipiebat, inter ſacras ſuas meditationes a Summe Rev. Dn. D. Dornfeldio Confeſſionario, aliisque Dnn. Collegis ſuis, ſuffultas plane infirmus mortique proximus tranquillo animo requieſcebat, & jubente Chriſto ex Templo temporali Nicolaitano quaſi exiturus (*ggg*) abſcondidit ſe inſequenti die Lunæ, veſpertino circa horam quaſi ſextam tempore, & in templum honoris, pulchra illa Dei tabernacula, introivit, poſtquam annum ætatis LXVI. V. Menſes & unam ſeptimanam exceſſerat, & Magnificus Dn. D. Adamus Rechenbergius ante meridiem ITTIGIO moribundo ultimum ſalve ac vale dixerat. Deſiit itaque in mundo bene vivere die 7. Aprilis, quo ſecundum Chronologorum calculum Aaron ſummum Sacerdotium aggreſſus eſſe dicitur, quove Beatus ITTIGIVS ſacerdotium ſuum cœleſte aggreſſus eſt. Hic fidus Domini noſtri JEſu Chriſti ſervus in gaudia jam introivit, & lucet ceu fulgor cœli: *Hic juſtus ſtabit in magna conſtantia adverſus eos, qui eum anguſtiaverunt, &c.* (*hhh*) Gratulandum itaque animæ ejus cum Chriſto capite ſuo in cœlis collectæ. Non mortuus eſt ITTIGIUS, ſed vivit apud Triunum Deum, nunc plene illum Illuminantem, inter illos Heroas Abrahamum, Joſephum, Davidem, Johannem Baptiſtam, & Paulum, fruiturque dulciſſimis Parentum, Fratrum, & amicorum beatorum colloquiis ſine ullo dolore. Cui e longinquo verſiculos illos, quos olim M. Seb. Glaſerus in obitum Abavi M. Franciſci Ittigii ſcripſerat, merito acclamo:

Jam dudum Chriſti meritis innixus, anhelis
Optaſti votis regna videre Dei.

E 3 *Nunc*

(*ggg*) In quæ verba omnino legi meretur ITTIGIUS noſter in Parentatione germ. Dn. D. Joh. Bened. Carpzovio ante hos XI. annos habita, part. 7. Concion. funeb. B. Carpzovii p. 950.

(*hhh*) Sap. V, 1. ſeqq.

Nunc fruere bis felix, & jam novus incola cœli
Cum Chriſto æternum non moriturus age.

Exequiæ Ampliſſimo comitatu factæ ſunt d. XV. Aprilis, quo ex Templi Nicolaitani cathedra ſacra concio funebris a Succeſſore ejus Summe Rev. Dn. D. Joh. Dornfeldio habita fuit in dictum Joh. III, 16. *Sic Deus dilexit mundum &c.* quod dictum palmarium valde dilexit B. ITTIGIUS, & Frater ejus tunc funus curans ex æquo præſcripſerat. Genuinus autem ITTIGII textus funebris, una cum aliis ad curriculum vitæ pertinentibus, poſthac in Bibliis Germanicis, quæ quotidie ipſi ad manus erant, ubique antea, neſcio qua incuria, fruſtra quærebatur, repertus fuit, & ita ſonat Rom. VIII, v. 31—34. Τί οὖν ἐροῦμεν πρὸς ταῦτα; εἰ ὁ Θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν; ὅσγε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτὸν, πῶς οὐχὶ καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται; τίς ἐγκαλέσει κατ' ἐκλεκτῶν Θεοῦ; Θεὸς ὁ δικαιῶν· Τίς ὁ κατακρίνων; Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθεὶς, ὃς καὶ ἔστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. Sermo autem parentalis a Summe Rever. Dn. D. Joh. Günthero fuit habita. Poſt menſem elapſum more conſueto etiam in Collegio Plurim. Rever. & Præclariſſ. Dn. Magiſtrorum Homilet. die Jovis per ſingulas hebdomadas florentisſimo, cui Beatus nomen ſuum olim dederat, a Viris Clariſſimis, Dn. M. Seliger enucleatisſima concione in dictum Act. XX. v. 29. 30. 31. & Dn. M. Königio doctiſſima parentatione, cohoneſtatus fuit ITTIGIUS.

De B. Brentio, cujus nomen in benedictione apud nos ſervatur, legimus, ante obitum ſuum mandaſſe, ut corpus exanime in templo ſuggeſtui ex diametro humaretur, atque Collegis ſuis ſæpius dixiſſe, quod, ſi quis e ſuggeſtu illo, ex quo tot annos verbum Dei pure ac ſincere docuerit, erroneam & falſam doctrinam propoſiturus eſſet, canum ſenile caput ſuum ex ſepulchro laturum, & publice coram plebe contradicturum fore: qua de re factum, ut lapis ejus ſepulchralis in templo Stuttgardienſi caput Brentii, quaſi ſublatum,

ſugge-

ſuggeſtum verſus videre liceat. (*iii*) Beatus noſter ITTIGIVS de loco ſepulchrali ex modeſtia nihil quidem mandavit, quin potius piis precibus in ſilentio iratum Numen placavit, feliciter tamen ex gratioſo Superiorum permiſſu accidit, ut oſſa ejus in templo D. Nicolai coram cathedra eccleſiaſtica, ex qua verbum Dei pure & ſincere per tot annos prædicavit, reponerentur. Nimirum inter graviſſimos Superintendentes Lipſienſes medium locum hoc modo tenet Beatus:

D. Georgius Lehmannus.	D. Elias Sigism. Reinhart.	D. Johann. Hülſemannus.
	D. Thomas Ittigius.	
	D. Vincentius Schmuck.	

(*iii*) Refert Dn. M. Lauterbachius in vita Val. Herbergeri p. 376. & 377 ex Miſandri Delic. V. T. part. XIV. p. 74.

Miratus aliquoties ſum in B. ITTIGIO, inſcio quaſi ipſi & parum curanti toties in vita optima quæque contigiſſe, jamque *funes cecidiſſe illi in præclaris*, Pſalm. XVI, 6. Quibus verbis, cum B. Wagenſeilius pro apophthegmate non ſine delectatione uteretur, non poſſum, quin celebrem hujus Patroni quondam mei piam & ſempiterna memoria dignam curam, qua non modo proprium ſibi ſcripſit Epitaphium, ſed etiam in tempore requietorium ſibi ædificari juſſit, & poſtquam confectum intellexiſſet, quaſi prodeambulaturus in κοιμητήριον ſuum ipſe deſcendit, fuſis ad Deum per integræ horæ ſpatium precibus & lacrymis, dein meditabundus domum rediit, ac quibusvis egenis obviam factis donaria diſtribuit. (*kkk*) Cameram illam ſepulchralem Mœcenatis mei Altdorfini, cujus memoria ſit in benedictione! non vidi; B. ITTIGIO autem Theologo ſummo, Deo ſic jubente, ad tumbam usque fidem meam, induſtriam & obſequium præſtiti. Cum ante hos X. annos Excellentiſſimus Polyhiſtor Wagenſeilius Commenſalibus ſuis Principes ac ſummos noſtri temporis Theologos orthodoxos collaudaret, erant illi *Fechtius*, *Veielius*, *Mayerus* & *Ittigius*, quorum dimidia pars cœlum ingreſſa eſt: atque in magna felicitatis meæ parte nunc pono, omnibus hisce Principibus Theologorum longe ab invicem remotis me tenuem innotuiſſe. Abs te, *o Ingens præſidium & dulce Decus Meum*, plus Paterno favore ac amore afficior ego indignus. B. D. Veielium in Filio ejus honoratiſſimo mihique Amico a Wagenſeiliano inde convictu, & ſcriptis diu novi; Magnum Mayerum hic Lipſiæ in negotiis ſeriis aliquoties ſalutavi; & ITTIGIO, Cognato optimo maximoque Patrono, per ſex, & quod excurrit, annos a manibus fui, ad extremum usque halitum a latere ægroto ſteti, ſed eheu! lumina oculorum occluſi, & ultima ſolvi! o utinam viveret! Moris antiqui & imprimis Judaici erat mortuorum corpora unguentis pretioſiſ-

(*kkk*) vid Dn. D. Langius in Wagenſeilio Phœbo oratione parentali delineato fol, 25.

Digitized by Google

tioſis illinere, quale honoris officium Maria Lazari ſoror adminiſtrans Domino, Chriſto JEſu, exhibuit, & in diem ſepulturæ ſuæ ſervavit iſtud. *(lll)* Mihi in vita ITTIGIO fidelem operam collocanti, talia cum grano ſalis cogitando, ſaltem licebat lacrymis largiter fuſis manus pedesque Gamalielis illinere, quod aliquali olim ſolatio erit. Cogito adhuc conditorium ITTIGII frequentans; Bene ſit tibi, Theologe optime, & æternum bene! vir juſte, vir pie, vir cordate, Patrone!

Apud Romanos Nobiliſſimorum quorundam Majorum effigies, cum titulis ſuis, idcirco in prima ædium parte poni ſolebant, ut eorum virtutes poſteri non ſolum legerent, ſed etiam imitarentur. *(mmm)* Quem morem laudatiſſimum & hic loci receptum eſſe, quo Superintendentes Lipſienſes juxta annorum ordinem in effigie poſitos, in Choro vel prima Ædis Thomanæ parte, aſpicere licet, jure meritoque deprædico. Atque penes hos Superintendentes, lumen ac decus Patriæ, D. THOMAM ITTIGIVM XVtum Superintendentem, his proxime diebus in effigie collocari curabunt Dn. Hæredes. Monumentum ſeu lapidem ſepulchralem nondum quidem factum vel poſitum eſſe fateor, interea tamen incomto cuidam lapidi quadrato, quibus cineres ITTIGII teguntur, ex obſervantia mea tenue hoc epitaphium vel creta quaſi appingam:

ITTIGIVS latuit; bene vixit: vivit ubique:
Reddidit hic ſordes, cœlica Chriſte Tibi.

Pedem nunc figo. Si fides pietasque fata exorare potuiſſent, ITTIGIVS immortalis inter mortales manſiſſet: Verum ſtat Dei voluntas. Interim fama ejus, merita in Eccleſiam & Rempublicam literariam, ac nomen in benedictione apud Rectos ſunt, manebuntque,

F Si

(lll) Joh XII, 3. coll. cum Matth. XXVI, 7. 12.

(mmm) vid. Val. Maximus lib. 5. dictorum factorumque memorab. c. 8. p. m. 154.

Si quid longa fides, canaque jura valent.

Molliter cineres quieſcant ad reſurrectionem piorum! Moriatur anima mea mortem hujus Recti! Salve demum millies, o anima benedicta, & æternum vale! ingens cœli decus!

Hæc de vita & obitu: reſtat, ut de ſcriptis ITTIGIANIS ex deſiderio cumprimis Tuo, PATRONE COLENDISSIME, aliqua annectam, & ὡς ἐν καταλόγῳ referam.

M. Thomæ Ittigii diſputatio I. de montium incendiis R. Chriſtoph. Wittigio, habita d. 24. Mart. Lipſ. 1663.

— — Diſp. II. de montium incendiis, ſive *prima* pro loco in Facult. Philoſ. habita d. 29. Auguſt. Lipſ. 1663.

— — Diſp. III. de montium incendiis, ſive *ſecunda* pro loco habita d. 6 Jun. Lipſ. 1666.

Honoris in Philoſophia ſummi XXV. Magiſtrorum memoriæ ſacrum erexit M. Thomas Ittigius, Lipſienſis, VII. Calend. Febr. A. 1666.

Emblemata XVIII. ſupremis in Philoſophia honoribus, totidem doctiſſimorum virorum Juvenum conſecrata, exhibuit IX. Cal. Febr. M. Thomas Ittigius. Lipſ. 1667.

M. Thomæ Ittigii Theſes Theologicæ de tractu hominum ad Chriſtum exaltatum ex Joh. XII, 32. ſub præſidio Dn. D. Hieronymi Kromayeri. Lipſ. 1667.

Argo nova honoribus Magiſtr. XIX. Autore M. Thoma Ittigio, Facult. Phil. Aſſeſſore ad d. VI. Calend. Febr. exſtructa Lipſ. 1670.

M. Thomæ Ittigii, Fac. Philoſ. Collegæ, diſſertatio phyſica de Lacrymis. R. Johanne Friderico Ittigio Frat. Philoſ. Baccalaureo, d. 7. Maji habita. Lipſ. 1670.

Epinicia, quibus Agones literarios & partas inde Laureas Magiſteriales Hieronicarum numero XXI. proſecutus eſt d. 26. Jan. M. Th. Ittigius, Phil. Fac. Aſſeſſor, & Xenodochii Johannei Paſtor recens deſignatus. Lipſ. 1671.

Digitized by Google

M. Thomæ Ittigii Lucubrationes Academicæ de montium incendiis. Lipſ. 1671. 8.

Klag- und Troſt-Gedancken / welche bey Chriſtlichen Leich-Begängniß ſeiner Hertz-geliebten Frau Mutter / Frau Sabinen Eliſabeth / geb. Weinrichin / den 4. Octobr. 1680. hat eröffnen wollen M. Thomas Ittig / Diaconus an der Kirche zu S. Thomæ, in proſa. fol.

Betrachtung der Zeit und Ewigkeit am Sonntage nach Weynachten aus dem Evangelio Luc. II, 33--40. zu Leipzig in der Kirche zu S. Thomæ A. 1684. vorgeſtellet / und auff Begehren heraus gegeben von M. Thomas Ittigen / Diacono an der Kirche zu S. Nicolai. Leipzig 1685.

Thomæ Ittigii Animadverſiones in cenſuram Facultatis Theolog. Pariſienſis latam in Sorbona d. 18. Martii 1683. de propoſitione: *ad ſolam ſedem Apoſtolicam divino immutabili privilegio ſpectat de controverſiis fidei judicare.* Pro Licentia d. 12. & 13. Auguſt. hab. Lipſ. 1685.

Thomæ Ittigii, SS. Theol. Licent. & Ædis Nicolait. Archidiaconi, de Hæreſiarchis ævi Apoſtolici & Apoſtolico proximi Diſſertatio. Lipſ. 1690.

— — Editio ſecunda, ibid. 1703.

— — Appendix diſſertationis de Hæreſiarchis ævi Apoſt. & Apoſtolico proximi.

Cui accedit heptas diſſertationum, ſelecta quædam hiſtor. eccleſ. veteris & novæ capita illuſtrantium. Sunt autem Diſſertt. 1.) de Pſeudepigraphis Chriſti, Mariæ, & Apoſtolorum. 2.) Exhibens hiſtoriam ſchiſmatis Donatiſtarum. 3.) de ritu feſtum Nativitatis Chriſti d. 25. Decemb. celebrandi, ejusque antiqnitate. 4.) de origine controverſiæ circa æqualem Petri & Pauli primatum ante 50. annos per Anton. Arnaldum excitatæ. 5.) de actis Synodi Hieroſolymitanæ

A. 1672. ſub Patriarcha Hieroſolymitano Doſitheo adv. Calvinianos habitæ, in qua imprimis de Cyrilli Lucaris confeſſione actum eſt. 6.) Hiſtoria Photini Epiſcopi Sirmienſis & Hæreſiarchæ. 7.) De Aramo Scriptore eccleſiaſtico anti-Pelagiano obſcuriſſimo pariter & celeberrimo, quem Theodorus Antiochenus unus e præcipuis Pelagianæ hæreſeos autoribus & defenſoribus confutare conatus eſt.
Lipſiæ 1696.

Thomæ Ittigii Prolegomena ad Flav. Joſephi opera Græco-Latina. Coloniæ vel potius Lipſiæ 1691. in Fol.

B. Ittigius hæc Prolegomena augere & vindicare volebat duobus abhinc annis, dum vero Exempla Joſephi nondum conſumta erant, de inſigni teſtimonio Joſephi de Chriſto prolixe egit contra Daubuzium &c. in ſelectis Capitibus ſec. I. p. 356.—378.

L. Thomæ Ittigii Vorrede/ nebſt denen Advents- und Faſten-Predigten/ wie auch am X. Sonntag Trinitatis, zu des ſel. Herrn L. Tilem. Andr. Rivini GOtt-gewiedmeten Veſper-Stunden. Leipzig 1694. Quæ conciones in epiſtolas Dominicales ſæpius recuſæ proſtant.

— — Zeit und Ewigkeit/ nach Gelegenheit etlicher Sonntags- und Feſt-Evangelien/ die in des ſel. Hn. D. Martin Geiers Zeit und Ewigkeit nicht gefunden werden/ vorgeſtellet/ ſamt einigen Buß- und Leichen-Predigten. Leipzig 1698.

— — Vorrede zur Deutſchen Bibel Lutheri. Leipzig 1699. in Fol.

Agit de dicto Joh. V, 39.

— — Exercitatio Theologica de Evangelio mortuis annunciato ad 1. Pet. IV, 6. in Panegyri Doctorali d. 9. Nov. exhibita, & pro Loco in Facult. Theol. obtinendo tuenda. Lipſ. 1699. Quæ Exercitatio, cum aliis diſputt. Theologicis hoc temporis tractu publice ventilatis, infra ſuo ordine in Enneade recuſæ comparebunt.

L. Tho-

Digitized by Google

L. Thomæ Ittigii Bibliotheca Patrum Apoſtolicorum Græco-Latina, qua continentur I. *S. Clementis Romani* 1. & 2. ad Corinthios Epiſtola. II. *S. Ignatii* epiſtolæ 7. genuinæ, quibus ejusdem interpolatæ & ſpuriæ epiſtolæ, nec non acta Ignatiani martyrii accedunt. III. *S. Polycarpi* epiſtola ad Philippenſes, cui præter fragmenta Polycarpi Eccleſiæ Smyrnenſis de Polycarpi martyrio epiſtola integra adjungitur. Præmiſſa eſt diſſertatio de Patribus Apoſtolicis ſ. Scriptoribus eccleſiaſticis, qui Apoſtolorum comites & Diſcipuli fuiſſe perhibentur. Lipſ. 1699. in 8.

D. Thomæ Ittigii Operum Clementis Alexandrini Supplementum, exhibens 1. librum; quis dives ſalutem conſequi poſſit? græce & latine cum notis Franc. Combefiſii. 2. Adumbrationes in epiſtolas aliquot catholicas. 3. Fragmenta. Accedit, poſt Dedicationem ad D. El. Veielium, Autoris Præfatio ad Lectorem, & Faſciculus obſervationum miſcellanearum ad hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectantium. Lipſ. 1700.

— — Abdanckungs-Rede Tit. Herrn D. Johann Bened. Carpzovio, P. P. & Paſtori ad D. Thomæ &c. den 30. Mart. 1699. gehalten.

— — Oratio parentalis memoriæ æternum benedictæ B. D. Joh. Benedicti Carpzovii ſacra, & d. 30. Mart. 1700. dicta. Lipſ. 1700. in Fol. it. in B. Carpzovii Leichen-Pr. parte ſeptima. ibid. eod. in 4.

— — Predigt von JEſu dem guten Hirten / am Sonntage Miſericordias Domini A. C. 1700. gehalten / und auff inſtändiges Begehren zum Druck befördert / ſamt einer Vertheidigung der Evangel. Lehre von der allen Sündern bis in den Tod offenſtehenden Gnaden-Thür. Leipz. 1700.

— — Antwort auf Hn. D. A. R. erſte Beylage zu fernerer Vertheidigung der Evangeliſchen Lehre von der allen

len Sündern bis an den Tod offenſtehenden Gnaden-Thür. Leipz. 1701.

D. Thomä Ittigs Antwort auf Hr. D. A. R. vierdte Beylage. ib. eod.

— — Antwort auf Hr. D. A. R. fünffte Beylage. ib. eod.

— — Anmerckungen über Hr. D. A. R. ſiebende Beylage/ ſamt einer Vorrede an das Hoch-Ehrw. Miniſterium in Leipzig/ und einem Anhang etlicher Theologiſchen Reſponſorum. Leipz. 1701.

— — Inſerat zu ſeinen Anmerckungen über Hr. D. A. R. ſiebende Beylage. ib. eod.

— — Zugabe zu dieſem Inſerat, dadurch Hr. D. A. R. Vorrede durch 10. Fragen erläutert wird. ib. eod.

— — Abgenöthigte Schutz-Schrifft/ darinne Hr. D. A. R. anderes Inſerat zu ſeiner ſiebenden Beylage kürtzlich beantwortet wird. Leipz. 1701.

— — Rettung der Theologiſchen Diſputation de Paulino in partem octavi Pſalmi commentario Ebr. II, 9. ſamt einem Bericht von etlichen Predigten/ die er in dieſem Kirchen-Jahre gehalten. Leipz. 1702.

it.

— — Zugabe/ darinnen noch weiter erwieſen wird/ daß D. Ittig in ſeiner Theologiſchen Diſputation über den Spruch Ebr. II, 9. von dem allgemeinen Verdienſte Chriſti nichts anders gelehret/ als was die Kirche Chriſti aus der Heil. Schrifft von Anbegin gelehret/ und noch heutiges Tages lehret. A. 1702.

— — Antwort auf Marci Cunei ICti Miſſive. Leipz. 1703.

— — Vorrede zu Hr. M. Reineccii Böſianiſino condemnato, quæ agit de Puccianiſmo. Leipzig 1704.

— — Vorrede zum 2 Theil der Leichen-Predigten/ darinne

Digitized by Google

ne auf 6 Terminiſtiſche Schrifften geantwortet wird. Leipz. 1704.

D. Thomæ Ittigii Refutatio diſputationis de ſtatu induratorum in prælectionibus publicis ad B. D. Valent. Alberti intereſſe Religionum, ejusque theſin ſecundam Studioſæ Juventuti communicata, & a quodam Auditore prelo commiſſa. Witteb. 1701.

— — Prælectiones publicæ termino Gratiæ peremtorio in nupera diſputatione de ſtatu Induratorum denuo aſſerto oppoſitæ & editæ a fideli Auditore. A. 1701.

— — Epiſtola ad Auditores ſuos, qua prælectiones de ſtatu induratorum adverſus D. A. R. Parænesin nuper editam vindicantur. Lipſ. 1701.

— — Exercitatio Theologica de Reſervato Dei circa terminum Gratiæ. Witteb. 1709.

Recuſa Lipſiæ 1709.

Parabat etiam ITTIGIUS Reſponſionem ad ſupplementum Compendii hiſt. eccleſ. Gothanum, uti in Select. capp. hiſt. eccleſ. ſeculi I. & quidem in addendis ad Præfat. promiſerat, ſed Deus ita prohibuit.

— — Exercitationum Theologicarum varii argumenti in Academia Lipſienſi publice propoſitarum Enneas. Accedunt Ejusdem duæ orationes inaugurales & totidem Programmata his præmiſſa. Lipſiæ 1702. in 8.

Syllabus diſſertationum:

I) Animadverſiones ad cenſuram Facultatis Theolog. Pariſienſis latam in Sorbona — Pro Licentiâ A. 1685. II) Ad Theod. Abucaræ opuſculum de baptiſmo fidelium ante Chriſti adventum defunctorum per aquam, quæ ex ejus latere profluxit. R. Seb. Spangenberg, habita d. 18. Octobr. 1698. III) De cauſa calamitatis in homine a nativitate cœco ad Joh. IX, 1. 2. 3. R. Goth. Roſenthal, Lipſ. 1698. IV) De pedilavio Chriſti imi-

imitando ad Joh. XIII, 14. R. Henr. Rauſch d. 13 April. Lipſ. 1699. V) De Evangelio mortuis annunciato ad 1 Pet. IV, 6. in Panegyri Doctorali exhibita, & pro loco in Facultate Theol. obtinendo. L. 1699. d. 9 Novemb.

(Cujus diſſertationis Doctoralis vindiciæ contra Agathophilum & Philaletham, in tractatu, qui μυςήριον ἀποκαταςάσεως πάντων inſcribitur confabulantes, extant in præfatione hujus Enneados.)

VI) Δοκιμασία hypotheſium nonneminis de S. Domini cœna ejusque variis, ut quidem ipſi vocantur, abuſibus. R. Joh. Joach. Mezger d. 1 April. L. 1700. VII) Problematis exegetici de creatura gemebunda ad Rom. VIII, 19-23. diſcuſſio. R. M. Herm. Bern. Gedæo d. 6 April. L. 1700. VIII) de reſiduo paſſionum Chriſti, quod Paulus in carne ſua eccleſiæ cauſa cum gaudio adimplevit, ad Coloſſ. I, 24. R. Joh. Chriſt. Heuſon d. 18. Febr. L. 1701. IX) de condemnatione peccati in carne Filii Dei ad Rom. VIII, 3. 4. R. Balth. Mentzero d. 6 Decemb. L. 1701.

Annectuntur:

I. Programma ad orationem Profeſſ. Theol. Extraord. ad 1 Timoth. III, 14. ubi Eccleſia Dei vivi columna & firmamentum veritatis appellatur. 2. Oratio inaugur. Profeſſioni Theol. Extraord. præmiſſa, pro Joh. Dallæi tractatu de uſu Patrum adverſus Matth. Scriveneri apologiam pro Sanctis eccleſiæ Patribus, habita d. 27. Octob. 1697. 3. Programma ad orationem Profeſſ. Theol. Ordin. in quo tractatus, qui Latitudinarii orthodoxi titulo A. 1697. Londini prodiit, refutatur, ejusque heterodoxia demonſtratur. 4. oratio inaugur. Profeſſioni Theolog. Ordinariæ præmiſſa, de remediis a Rich. Simonio ad tranquillandas eorum conſcientias adhibitis, qui in Gallia ad Romana ſacra amplectenda compulſi de privatione ſacri calicis anguntur dicta d. 3 Martii 1698.

D. Tho-

Digitized by Google

D. Thomæ Ittigii Exercitatio Theologico-Philologica ad verba Davidis Pſal. XCVI, 10. a nonnullis Interpretibus & eccleſiæ Patribus interpolata: *Dominus regnavit a ligno.* R. M. Joh. Schlegel. Lipſ. 1702.

— — Paulinus in partem Pſalmi VIII. commentarius ad Hebr. II, 9. expenſus, R. J. H. a Bobart. L. 1702.

- - Diſſ. ad Luc. VII, 47. 48. de iterata abſolutione peccatricis, cui peccata jam remiſſa fuerant. R. M. J. G. Schultze, Lipſ. 1703.

— — Exercitatio Theologica de novis Fanaticorum quorundam noſtræ ætatis purgatoriis, R. Rup. Gottlieb. Pauer. Lipſ. 1703.

- - Exercitatio hiſtorico-theologica de Guilielmo Poſtello R. Chriſtiano Gottl. Petzsch. Lipſ. 1704.

Et hæc diſputatio d. 29 Julii habita ultima fuit in Cathedra Theologica publice defenſa. Animo conceperat ὁ μακαρίτης, has 5. diſſertationes, præmiſſa illa juvenili, quam ſub Præſidio D. Hier. Kromayeri A. 1667. habitam *de tractu hominum ad Chriſtum exaltatum ex Joh. XII, 32.* auctiorem inter MSta reliquit, peculiari parte 2. Enneadi exercitationum Theologicarum adaptare, & in publicum emittere. Et niſi fata id prohibuiſſent, Programmata quoque IV, feſtalia Decanatus ſui ſecundi, A. 1706. & 1707. publico nomine ſcripta, oratio panegyrica, quam A. 1708. in ſolenni VIII. Candidatorum promotione Doctorali tanquam Compromotor habendam ITTIGIUS egregie conſcripſit, ob intervenientes autem laterum dolores non dixit, una cum aliis vel editis vel non editis, acceſſiſſent.

— — Chriſtlicher Leichen-Predigten anderer Theil / beſtehend in 20 Predigten über ſo viel auserleſene Sprüche / nebſt der Vorrede vom Termino Gratiæ. Leipzig 1704.

Tertia pars concionum funebrium promiſſa fuit in catalogo librorum Nundinali 1707. lucemque, quantum novi, particulatim aſpexerunt octo conciones:

I.

Spiegel der Frömmigkeit / aus den Worten Davids/ Pſalm. LXXXIV, 11. 12. 13. bey Leichen-Begängniß Tit. Fr. Magdalena Sibylla / geb. Berlichin / Tit. Herrn L. Ott. Menckenii Moral. P. P. &c. Fr. Eheliebſten am 19. Jan. 1703. in der Pauliner Kirche vorgeſtellet.

II.

Geiſtliche Wage aus den Worten Pauli Rom. VIII, 18. bey Leichen-Beſtattung Fr. Catharinen / geb. Menckin/ Tit. Hn. Chriſtoph. Pfautzens / Math. P. P. Fr. Eheliebſten / gehalten den 14. Maji 1703. in der Pauliner-Kirche.

III.

Die Klugheit der Gerechten/aus den Worten Pauli 1. Theſſ. V, 16—22. bey anſehnlicher Leichen-Beſtattung Tit. Hr. D. Johann Peilickens / des Chur- und Hoch-Fürſtl. Sächſ. Conſiſtorii wohlbeſtalten Advocati Ordinarii, wie auch Vornehmen des Raths und Baumeiſters / am 24. Auguſt. 1704. in der Pauliner-Kirche vorgeſtellet.

IV.

Gläubiger Chriſten Hertz/ als eine Geiſtliche Medaille oder Müntze/ darauff JEſus/ als der Weg/ die Wahrheit/ das Leben/ und der einige Mittler eingepräget iſt/ aus dem Macht-Spruch Joh. XIV, 6. Bey Leichen-Beſtattung Herrn Heinrich Wincklers/ des Aeltern/ Vornehmen des Raths/ und Hochverdienten Baumeiſters/ wie auch der Kirche und Schule zu S. Nicolai Vorſtehers/ den 20. Novemb. A. 1704. in der Kirche zu S. Nicolai vorgeſtellet.

V. Eines

Digitized by Google

V.

Eines am heiligen Weynacht-Abend ſterbenden Chriſtens erfreuliche Gedancken von ſeiner Chriſt-Beſchehrung aus Thren. III, 24. bey Leich-Beſtattung Fr. Julianen/ geb. Falcknerin / Hn. David Hommels / berühmten Handelsmanns und älteſten Cramer-Meiſters / Fr. Eheliebſten / in der Pauliner-Kirche den 29. Decemb. 1704. vorgeſtellet.

VI.

Rechtſchaffene Chriſten/ als Prieſter der Gerechtigkeit/ aus den Worten Davids Pſalm. IV, 4. 5. 6. bey Leichen-Beſtattung Tit. Herrn D. Bartholomæi Leonhardi Schwendendörffers/ des Hohen Stiffts Merſeburg / wie auch der Kirche zu S. Sixti daſelbſt Dechants/ des Ober-Hofgerichts Aſſeſſoris, der Juriſten-Facultät/ desgleichen der Meißniſchen Nation und der gantzen Academie Senioris, auch derſelben Decemviri und Codicis Prof. Publ. Celeberrimi, den 19. Julii 1705. in der Pauliner-Kirche vorgeſtellet. item

VII.

Die von GOtt den Gläubigen verheiſſene zeitliche und ewige Wohlfarth/ aus dem von dem ſel. Hn. D. Schwendendörffer ſelbſt erwählten/ aber erſt nach ſeinem Begräbniß gefundenen Leichen-Texte Pſalm. XCI, 15. 16. betrachtet von D. Thomas Ittig.

VIII.

Die Hoffnung beſſerer Zeiten im ewigen Leben / aus den Worten der Offenbahrung Joh. VII, 14. 15. 16. 17. zum Andencken und letzten Ehren der am 3. Sept. 1709. ſelig verſtorbenen Fr. Julianen Marien/ geb. Falcknerin/

Tit. Herrn D. Quirin Hartmann Schachers/des Chur- und Hochfürſtl. Sächſ. Ober-Hof-Gerichts / Geiſtl. Conſiſtorii und Schöppen-Stuhls reſpect. Aſſeſſoris, und Advocati Ordinarii, wie auch Vornehmen des Raths und Pro-Conſulis, Fr. Eheliebſten/ in einer Chriſtlichen Andacht vorgeſtellet von D. Thomas Ittig.

Quæ egregia concio cygnea, ſcripta ab ITTIGIO, & ex deſiderio prelo parata, ante beatum obitum transmiſſa jacet, atque lucem publicam proxime anhelat. His adeo ſermonibus funerariis B. ITTIGIVS volebat addere X. vel XI. conciones von der nöthigen Todes-Bereitung/ in totidem Evangelia Dominicalia & feſtalia A. 1706. inter periodos morbi ſui chronici publice habitas.

Cæterum quam plurimas conciones eruditiſſimas, quarum quidem bonam partem anno præterlapſo Vulcano tradidit, reliquit Manuſcriptas, ex quibus prodeſſe publico eccleſiaſtico maxime poſſent homiliæ in Prophetam Jeremiam tempore Archidiaconatus ſui ab A. 1686 usque 1699. habitæ, ut alias utiliſſimas taceam. Deſiderio quorundam, Methodum annuam in Evangelia Dominicalia & Feſtalia poſcentium, ut ſatisfiat, placuit ITTIGIO elaborare conciones ſub titulo: *Speculi Pietatis*, A. 1703. publice habitas, quarum juſtam partem emendavit, & deſcribi a me anno ſuperiori juſſit, eamque Methodum Integerrimo viro Joh. Friderico Braunio, Bibliopolæ Lipſienſi, prelo deinde tradendam coram promiſit.

D. Thomæ Ittigii Diſſertatio theologico-hiſtorica de Synodi Carentonenſis a Reformatis in Gallia eccleſiis A. 1631. celebratæ indulgentia erga Lutheranos, circa permiſſam S. Cœnæ inter Reformatos participandæ, conjugiorum cum Reformatis contrahendorum, & infantum ex baptiſmate apud Reformatos ſuſcipiendorum libertatem.

Accedunt Ejusdem quatuor Programmata feſtalia tempore Decanatus A. 1702. ad 1703. publico nomine conſcripta. Lipſ. 1705.

— — Hiſtoria Synodorum nationalium a Reformatis in Gallia habitarum, ex actis Synodicis, & aliis Scriptoribus in epitomen

tomen redacta; obſervationibus nonnullis Theologicis theoreticis pariter ac practicis illuſtrata, & in uſum publicarum lectionum edita. Lipſ. 1705. ſeqq.

Hunc laborem temporibus noſtris utilisſimum eheu! pallida mors interrupit, Synodi enim Reformatorum in Gallia nationales XXIX celebratæ fuerunt, proſtant autem tantum, (præter particulam ſectionis quintæ exiguam MStam) priores IV. & quidem:

Sectio I. de Synodo Pariſiis A. 1559. habita.
Sectio II. de Synodo Pictavienſi G. 1560.
Sectio III. de Synodo Aurelianenſi A. 1562.
Sectio IV. de Synodo Lugdunenſi A. 1563. habita.

D. Thomæ Ittigii de Bibliothecis & Catenis Patrum, variisque veterum Scriptorum eccleſiaſticorum collectionibus Baſileenſibus, Tigurinis, Pariſienſibus, Colonienſibus, Lugdunenſibus, Leidenſibus, Ingolſtadienſibus, Antverpienſibus, Romanis, Venetis, Mediolanenſi, Moguntinis, Boni-Fontis, Inſulana, Divionenſi, Rotomagienſi, Toloſana, Londinenſibus, Dublinienſi, Oxonienſi, Lovanienſibus, Trajectenſi, Genevenſibus, Hamburgenſibus, Cygneis, Lipſienſibus & aliis, Tractatus variis obſervationibus & animadverſionibus refertus. Lipſ. 1707.

Ad hunc Tractatum a me deſcriptum, & quod attinet emendationem typographicam reviſum, liceat mihi pauca quædam annotare, & ſpicilegii quaſi loco addere.

In Præf. p. XXV, lin. 22. pro *Cornelio* legendum Carolo.

Pag. 565. §. 6. Opuſcula quædam Patrum a Thoma Galleto edita recenſentur, magno ſtudio ex aliorum libris hauſta. Nam ipſe libellus tunc temporis ab ITTIGIO ubivis quærebatur, vel in Belgio apud Clariſſ. Crenium, & reperiri non poterat. Edito poſtea tractatu en! incidit forte fortuna in Galleti Religioſum, cui annectuntur opuſcula illa Patriſtica.

Licet igitur alias divina memoria gauderet, & libros ſuos bene noſceret, hac tamen vice, caſu plane peculiari, divitias Bibliothecæ ſuæ ignoravit. Operæ nunc pretium duco, quandoquidem & in Celeberrimi Cavei Hiſtoria Literaria, incomparabili illo antiquitatis eccleſiaſticæ Theſauro, editio horum Scriptorum non appareat, ut integer libri titulus legatur:

> *Thomæ Galleti Presbyt. J. C. Religioſus. Cui adnectuntur Sanctorum aliquot varia opuſcula nondum edita, Ejusdem Autoris ſtudio & opera collecta. Lugduni, ſumptibus Horatii Cardon, MDCXV. in 8.*

Liber (cujus Dedicatio Romæ ſcripta, & Petro Guicciardino Magni Etruriæ Ducis apud Pontificem Legato dicata) eſt bipartitus. Prima pars agit de Religioſi nomine, dignitate, fine, ingreſſu, perfectione maxime quærenda, doctrina, paupertate, obedientia, ſui abnegatione, humilitate, &c. Altera pars ſanctorum aliquot Patrum opuſcula nondum edita continet, quæ ſunt:

Baſilii epiſtolæ tres, Federico Metio interprete.

Athanaſii Archiepiſc. Alex. encomium in B. Andream Apoſtolum Carolo Fabiano interprete.

Johannis Chryſoſtomi de nomine cœmeterii, & de veneranda & vivifica cruce, Antonio Agellio interprete.

Ejusdem ſermo, quomodo Adam animam acceperit, quando formatus eſt, & in paſſionem Salvatoris noſtri, & de vulnerato ejus latere.

De Petro & Elia.

Procli Archiepiſc. CPlitani oratio panegyrica in S. Andream Apoſtolum, Carolo Fabiano interprete.

Euſebii Epiſcopi oratio de commemoratione Sanctorum, eod. Fabiano interpr.

Neropii Paulini & *Theraſiæ* Epiſtola ad Sanctum & Amandum.

Heſychii Presbyteri Hieroſolymitani oratio demonſtrativa in S. Andream Apoſtolum, Car. Fabiano interprete.

Syneſii

Syneſii epiſtolæ tres.

Anſelmi Archiepiſc. ſermo de æterna beatitudine, in Cluniacenſi capitulo ad conventum, habitus.

Eutropii Abbatis ad Petrum Papam epiſtola de vitiis.

Porcarii Abbatis epiſtola.

S. Sedati Epiſcopi homilia de Epiphania.

Pauli Diaconi homilia: ſimile eſt regnum cœlorum homini Regi.

Expoſitio hiſtoriarum V. T. Venerab. *Petri Damiani* Card. Hoſtienſis, capitibus XXX. abſoluta.

Pag. 468. §. 8. ITTIGIUS ſuſpicatur pro *Pauli cum Deo* legendum eſſe Pauli Comitoli, quia hujus Catena in Jobum Lugd. 1586. edita proſtat. Verum Vir Ampliſſimus Th. Crenius ITTIGIO ſuo indicavit per literas, Pauli Comitoli in Jobum catenam Lugduni An. 1586. editam fuiſſe a *Laurentio cum Deo*, niſi fallor Typographo; dubium nihilominus in catalogo Bibliothecæ Heinſianæ circa prænomen manebit.

Pag. 658. duplex error ſcriptionis ex feſtinatione comiſſus ex §. jam dicto corrigendus erit. Nam lin. 25. pro *Colonia* legendum: *Lugduni*, & ſequenti lin. pro *Colonienſibus* legendum: *Lugdunenſibus*.

Pag. 626. §. 7. Liber Liturgiarum Claudii Sanctefii recenſetur, dumque poſthac a Plurimum Rev. Dn. M. Chriſtiano Günthero, Fautore mihi honoratiſſimo, ipſe liber Bibliothecæ Ittigianæ offerebatur, titulum plenum communicabo:

Liturgiæ, ſive Miſſæ Sanctorum Patrum:

Jacobi Apoſtoli & Fratris Domini,

Baſilii M. e vetuſto codice latinæ tralationis,

Joannis Chryſoſtomi, Interprete Leone Thuſco.

Digitized by Google

De ritu Miſſæ & Euchariſtia:

Ex libris B. Dionyſii Areopagitæ; Juſtini Martyris: Gregorii Nyſſeni: Johannis Damaſceni: Nicolai Methonienſis: Samonæ Gazæ Archiepiſcopi: Germani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani: Nicolai Cabaſilæ, Gentiano Herveto interprete: Maximi Monachi B. Dionyſii interpretis: Beſſarionis Cardinalis: Proclus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus præfatur. Quibus acceſſit ad calcem e libris D. Joannis Chryſoſtomi locorum annotatio, & initio aliquot capita, unde Liturgica comprobabantur: Auctore F. Claudio de Sainctes Theologo Pariſienſi. Antverpiæ ex officina Chriſtophori Plantini MDLX.

Nec minus ad cap. XXVI, p. 725. de Bibliothecis Patrum Lipſienſibus, referri potuiſſent D. Andreæ Rivini Prof. Lipſienſis Celeberrimi opuſcula quædam Patriſtica, ſi ad manus tunc fuiſſent, ſequentia:

De Chriſto Jeſu, beneficiis & laudibus ejus, aliquot Chriſtianæ reliquiæ veterum Poetarum Eccleſiaſticorum: L. Cœlii Lactantii Firmiani, Merobaudis *Hiſp: Scholaſtici*, Incerti *Conſtantini avo* Auctoris, Ruſtici Elpidii *Exquæſtoris*, *ut &* hujusdem *atque* Amœni *Enchiridion*, *utriusque Teſtamenti hiſtoriarum ſummam, cum per Triſticha, tum per Tetraſticha complexum. Quæ ſingula & univerſa poſt alios emaculavit, notis illuſtravit, atque præfatione inſuper, quid de unius cujusque ſcripti Auctore ſentiendum oſtendit & ſuis impenſis excudi fecit And. Rivinus D. & P. P. Lipſiæ A. 1652.*

Quem libellum Proto-Synedrio Electorali Saxonico, quod Dresdæ floret, inſcripſit editor elegantiſſimo hoc Tetraſticho:

Cœlium, Incertum, Merobaudem, Ruſticum, Amœnum,
  Sacros quinque Viros conſecro quinque Viris.
Quod niſi quinta] juvet me deſignatio, chartis
  Quinque quod his petii, aſt vulnera quina beent!

Item

Item:

Ad Paſchaſii Ratberti *carmen geminum, libro de corpore & ſanguine Domini cum præfixum tum ſubmiſſum, Notæ D. And. Rivini C. P. Cæſ. Prof. P. Lipſ. 1652. Quibus præter carmina ipſa accedunt* Engelmodi *Epiſcopi ad Radbertum Abbatem verſus. Item hymnus de gloria Paradiſi* Petri Damiani *Cardinalis Oſtienſis; &* Acroſtichis *apud Auguſtinum de C. D. lib. 18. c. 23. e Græc. Sibyllæ Erithrææ.*

Ut alias D. Rivini collectiones Patrum, v. g. *Duum Victorinorum,* Pictavienſis & Afri, ſanctas Reliquias cum epiſtola *Candidi Ariani,* quas cum notis ſuis A. 1652. Lipſiæ edidit, ab ITTIGIO jamjam in Præfat. p. LXIV. & in Tract. p. 295. ſeq. memoratas: Et quosdam ſeparatim Patrum libellos, vel binos, v. g. *Tertulliani* opera poetica omnia cum nonnullis *Cælii Cypriani; Dracontii* Hiſpani & *Eugenii* Toletani Epiſcopi Poematica; *S. Orientii* Illib. Verſus commonitorios; *Fl. Creſc. Corippi* carmina; nec non *S. Damaſi* Hiſpani & Pontif. M. Poetica opera, lubens omittam. Neque enim binos inter has Collectiones Patrum referre, neque plures alias Collectiones Autorum in Bibliotheca ſua longiori numero proſtantes, ſed ſcopo ſuo haud inſervientes, enumerare voluit B. ITTIGIUS, quod quidam maleferiatus deſiderare circa hunc Tractatum annifus fuerat. Hæcce adducta autem, & hactenus Bibliothecæ ſuæ conceſſa, Ipſe ITTIGIUS forte addidiſſet ſuo tempore, ſi inter vivos amplius fuiſſet. Sufficit Celeberrimo Caveo aliisque Viris magnis hunc eruditiſſimum Tractatum mirum in modum placuiſſe. Sed e diverticulo in viam redeundum mihi eſt.

D. Thomæ Ittigii Oratio parentalis immortali memoriæ D. Samuelis Benedicti Carpzovii, Sereniſſ. ac Potentiſſimo Regi Pol. & Saxoniæ Electori a Concionibus Aulicis Primariis, Confeſſionibus & Conſiliis eccleſiaſticis, Theologi de univerſa Chriſti eccleſia optime meriti, ſacra: dicta Lipſiæ d. 17. Januarii, qui ipſius Natalis fuit. Dresdæ 1708. in Fol.

— — Vorrede zu Hn. M. Zeiſii Unevangeliſchen Pabſtthum.

thum. (*Contra D. Peterſenii Syncretiſmum.*) Alten-
burg 1708. 4.

D. Thomæ Ittigii Vorrede zur Deutſchen Bibel Lutheri/von Hn. M. Reineccio heraus gegeben. Leipzig 1708. in 4.
Quæ agit de verſionibus Bibliorum Germanicorum ante Lutherum.

Diſſertationis Ittigianæ de hæreſiarchis ævi Apoſtolici & Apoſtolico proximi, adverſus Catalecta F. Lotharii Mariæ a Cruce Ord. F. Minorum, Defenſio. Autore Thoma de Lypſia Ordin. FF. Prædicat. Lipſiæ 1709.

D. Thomæ Ittigii Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primi a Chriſto nato ſeculi ſelecta Capita. Præmiſſa eſt Ejusdem diſſertatio de Scriptoribus hiſtoriæ eccleſiaſticæ recentioribus. Lipſ. 1709.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſecundi ſeculi ſelecta capita ſub prelo jacent, nuperis Nundinis Paſchalibus ex mente quidem Autoris prodituræ: ſed proh dolor! poſtquam XXVIII. plagulæ impreſſæ, & ab ipſo reviſæ fuerant, ITTIGIUS deceſſit ἐν εὐφημίᾳ. Reliqua hujus ſeculi pars (excepto ſeptimo vel ultimo capite, & particula ſexti capitis exigua) in ordinem redacta adhuc fuit a B. Autore, & propediem lucem viſurum eſſe hoc ſeculum ſecundum nullus dubito. Quid porro de III. IV. V. vel VI. ſeculo futurum ſit, meum non eſt judicare, ἀλλὰ σοφώταται μάρτυρες ἡμέραι. Ante hos aliquot annos typis exſcriptum fuit *D. Thomæ Ittigii Schediaſma de Scriptoribus Hiſtoriæ eccleſiaſticæ antiquioribus*, qui ſcilicet a Chriſto nato ad Lutheri reformationem usque ſcripſerunt. At lucem publicam non multum vidit hoc breve, duarum plagularum ſumma eruditione refertarum, ſchediaſma diviſum in 2. capita, quorum prius de Scriptoribus hiſtoriæ eccleſiaſticæ antiquioribus Græcis, poſterius de Latinis agit. Eandem materiam, plane alio tamen modo, nuperrime ex parte communicavit ITTIGIUS orbi Literato in appendice Tractatus de Bibliothecis Patrum a p. 726—749. Quantum ſentio τοῦ Μακαρίτου animus fuerat IV. ſchediaſmata edere, quorum *primum* jam nominatum

tum de Scriptoribus hiſtoriæ eccleſiaſticæ antiquioribus erat: *Alterum* de Scriptoribus hiſt. eccleſ. recentioribus, præfationis loco ſelectis capitibus H. E ſeculi primi nuper præmiſit: *Tertium* debebat eſſe de Scriptoribus H. E. Eccleſiarum particularium: *Quartum* debebat exhibere Scriptores hiſtoriæ univerſalis, & Chronographos generales. His enim IV. Sectionibus conſtat Collegium privatum, in uſum Auditorum ſuorum, ſecundum quidem apparatum Bibliothecæ ſuæ in hoc genere inſtructiſſimæ, olim habitum. Forte reliqua etiam ſchediaſmata ſelectis Capitibus hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſequentibus, præfationis loco, addidiſſet, niſi morbus & fata id prohibuiſſent.

Vidiſtin adeo, PATER VENERANDE, numerum ſcriptorum ITTIGIANORUM, quibus immortalem gloriam ſibi acquiſivit, ſic ſatis magnum eſſe, neque MSCtorum Viri omnium laborioſiſſimi exiguus eſt exercitus, quem Hæredes ITTIGII honoratiſſimi ſecum aſſervant, exceptis illis concionibus MSCtis ante hunc annum largiter Vulcano traditis, id quod ante obitum ſuum A. 1703. pari ratione fecit cum MSCtis ſuis Excerptis B. Wagenſeilius meus. Si tempus, ratio officiorum, & morbus permiſiſſent, ITTIGIUS noſter non modo plura proprii ingenii, ſed etiam quædam aliorum Virorum doctorum ſcripta edi curaſſet. Verbi cauſa B. D. Henrici Höpfneri commentarios MSCtos in Pſalmos Davidis, Prophetam Micham, & Habacuc: Acta 3. ultimarum Synodorum nationalium in Gallia habitarum, nempe Alenſonenſis A. 1673. Carentonenſis A. 1644. & 1645. atque Juliodunenſis A. 1659. Gallico ſermone exarata, quæ acta MSCta ex Bibliotheca Spanhemiana in Ittigianam conceſſerunt: nec non hinc inde alia. Utinam vero, quod animo ſatis diu conceperat, Caſparis Barthii, viri ſummi, codicem Manuſcriptum ex Adverſariorum tomo 2. nondum edito excerptum, ſive Scriptores XI. bellorum Palæſtinorum, quos Jac. Bongarſius in opere de geſtis Francorum olim ediderat, ad prelum ita paravit, & explicavit Barthius,

thius, Reipublicæ Literariæ communicare potuiſſet! Titulus codicis hic eſt:

> *Undecim Bellorum Palæſtinorum Scriptores. Anonymus. Robertus Monachus. Baldricus Dolenſis. Raymundus Agylæus. Fulbertus Carnotenſis. Gauterius Cancellarius. Guibertus Abbas. Bartolphus. Liſiardus. Guido. Oliverius. Ex editione Bongarſiana. Caſpar Barthius, partim ex MSCtis codicibus recenſuit, omnes animadverſionum libris illuſtravit, additis cuiq; indicibus Gloſſariis.*

Sunt 117. folia ſcriptionis Barthianæ i. e. minutisſimæ, id modo dolendum eſt compactorem Codicis hujus exemplum editionis Bongarſianæ, cui emendationes, diviſiones & alia neceſſaria a Barthio adſcripta fuerunt, nimium interdum in margine eſſe circumſectum. Deſino plura addere, ne patientia Tua, VIR SUMME REVERENDE, amplius abutar. Quis quæſo nunc dubitat Beatum eſſe ITTIGIUM non modo jure naturæ & gentili, prout Plinius Secundus putavit eſſe *beatos, quibus Deorum munere datum eſt, aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda: beatiſſimos vero quibus utrumque,* * ſed potius Beatum imo Beatiſſimum per Chriſtum in cœlo cum Deo Triuno, inter Doctores tanquam ſtella primæ magnitudinis æternum coruſcare? Quis dicet ITTIGIUM eſſe mortuum, cujus nomen, eruditio & Scripta manebunt quoad ulla erit poſteritas?

Scribis in poſtremis ad me Tuis, cum hoc Viro delicias Tuas omnes exſpiraſſe, & novi Animum Tuum, quam quidem charum pectus Tibi fuerit ITTIGIUS. Tot rerum teſtimonia extant, ut non opus ſit verbis amorem Veſtrum mutuum eumque intenſiſſimum comprobare. Permittes tamen, PATER REVERENDE, ex ultimis literis Tuis d. XXI. Decembris A. 1709, ad

* epiſtol. Lib. VI. ep. 16.

ad ITTIGIUM exaratis, repetere ea verba, quibus in anteceſſum, nec ſine omine, valedicebas ITTIGIO plane Tuo, quanquam inverſo ordine mors contigerit. Nimirum poſt deſcriptionem morbi Tui præterlapſo anno non tam hoſtis, quam tyranni inſtar TE corripientis & invadentis, inquis: *Cumq; tum citra omnium hominum expectationem ex morte me eripuerit Deus, quidque nunc de me decreverit Deus item, ex periculo vitæ meæ quotidie magis inſidiante colligere facile queam, omnium minime ſine compellatione dimittendus mihi es, ut ad ipſum usq; mortis oſtium Tibi, amico meo prorſus incomparabili, adhæſiſſe, & affectu in me Tuo, mihi ſemper inæſtimabili, uſus eſſe dici queam. Si ereptus ex hoc mortalitate fuero, coram Deo conſiſtens doctrinæ meæ, ante biennium propoſitæ memor, Tua fata, Tuam vitam & valetudinem exquirere, DEoque meo ex intimo pectore commendare nunquam ceſſabo. Ut ſi plures Tibi annos, tolerabilioremque Tibi valetudinem impetravero, ad invidiam & furorem etiam abſens Diabolum, præcipue Pietiſticum, provocem & de Eccleſia vel non amplius exiſtens bene merear.* Notavi ego, nunc loco reſponſionis, ITTIGIUM, cui tunc ob infirmitatem ſuam epiſtolam prælegebam, non ſine lacrymis dicentem: quod prior hoc pietatis officium in cœlo Tibi dubio procul ſit exhibiturus. Ita evenit. Ego quidem reponebam, o Pater, currus Iſrael & auriga! ſerioque quotidie precatus ſum DEUM O. M. pro Utriusque Veſtrum ſalute & vita perenni; ſed alia longe fuit Dei voluntas. Ideoque pro Te, o Pater, currus Iſrael & auriga! preces meas ſerias, quas antea (inter alios Benefactores meos) pro utroque Veſtrum ſimul & ſingulariter fudi, pro TE, inquam, *Theologorum venerabilis Senex & ſine controverſia Princeps*, quem præcipuo honore colo, ardentiori nunc animo continuo, & nunquam deſinam. Æternum Patrem Domini noſtri JEſu Chriſti in Spiritu Sancto oro, ut TE ſervet ſalvum ac incolumem Eccleſiæ univerſæ & Tuæ Domeſticæ? Hic Deus omnis conſolationis, qui affirmat ſe apud afflictos habitare,

mittat Tibi ad leniendam hanc mœſtitiam conſolationem e Sanctuario, & firmet Te ex Sion! Magnificus & Summe Reverendus Dn. D. Sonntagius, Præceptor meus æternum Venerandus, in Literis ad me ſuis iterum Tibi, Roſaceo ſcil. Ἀρχιστρατηγῷ veritatis Divinæ, mille ὄλβια apprecatur, idque una mecum! Parce demum, demiſſe rogo, valetudini & doloribus his, ne filum vitæ Tuæ, Eccleſiæ noſtræ ſummopere proficuæ, abrumpas: Atque VIR MAGNIFICE, fac in laboribus Tuis ſacris, animo forti magnoque amplius ſis vel in infirmo corpore, ſperesque fore, ut fracto doloris impetu ſanitatem plurimam conſequare. Bene & feliciter vale.

Scrib. Lipſiæ die 26. Junii,
in faſtis Jeremiæ ſacro.
A. MDCCX.



Digitized by Google

Digitized by Google

665658373
Digitized by Google

CB

Digitized by Google